



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Emanvelis De Naxera Toletani, E Societate Iesv,  
Sacrarvm Litterarvm Interpretis, Regiiqve Concionatoris.  
Excursvs Morales In Librum primum Regum**

**Nájera, Manuel de**

**Lvgdvni, MDCLXXII**

Capvt II.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80084](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80084)

TEXTVS.

Vers. XXVII. & XXVIII. Pro puero isto orauit, & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulauit eum. Idcirco & ego commodauit eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit commodatus Domino. Et adorauerunt ibi Dominum, & orauit Anna.

§. CV.

*Qui filios Deo dicat, sibi quodammodo aternat.*

Quod commodatur, ad accipientis traditur usum; pertinet tamen ad commodantis dominium. Ergo prudentissima Anna, dum filium templo tradit, commodatum asseruit. *Commodauit eum Domino.* Nouerat namque tunc filium ad honorem suum speciali iure pertinere, cum constabat Dominicis conspectibus consecrati. *Commodauit* (inquit Abulensis *quæst. citata*) *id est, dedit illum ad usum Deo.* Tunc suum securius deprædicauit, cum filium obtulit, & factis ritibus consecrauit. O quam falluntur parentes, si se amittere filios putant, cum religiosæ cæritibus consecrant.

§. CVI.

*Se se demittit humilior, quisquis virtutum fructibus inuenitur vberior.*

Quisquis supernis dotibus deprædicatur vberior, & inuenitur humilior. Ramus, dum nullis fructibus dicitur, in altum fertur elatior, saporatis onustus inclinatur humilior. *Luxulentis pedibus Diogenes superbas Platonis thoras alia superbia deculcat* (aiebat Tertullianus in *Apoloq. cap. 46.*) *Christianus nec in pauperem superbi.* Philosophus virtutis specie enutriebat tumorem; Christianus, quia solidis ornatur virtutibus, profiteretur humilitatem, & demissorem profiteretur humilitatem, dum altorem corde possidet perfectionem. Petrus, dum scapha vacua Dominum recipit, ad eius vestigia non procumbit: iam plena donis cælestibus nauis, ad genua prociidit, & se peccatorem confiteri non timet: *Prociidit ad genua Iesu, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum Domine. Luc. 5. vers. 8.* Quod ingeniosè expendens Ambrosius, aiebat ad hunc locum: *Quo plus emeruerat, hoc*

*presumebat minus.* Idem Anna contigisse reperies; fructu viduata orauit; filio verò, & quidem Propheta iam fecunda se humiliter deiecit: *Orauit Anna;* Hebræus legit: *Et incurruuit se ibi Domino.* Quod si inquiras, cur filium petendo non se incurruauerit, quæ se accepto filio dimissius inclinatur, & humiliter orat? Respondeo, modo se se amplius dimississe, dignis exundans iam fructibus. Nam quisquis vberiori fructu luget, dimissiori etiam humilitate respiciet. Innuit Caietanus. *Incurruuit se ibi Domino.* Ibi, id est, ubi filium accepit, & fecunditate miranda luxit.

§. CVII.

*Mirum si officiosus adeo votum sit affectus, ac extiterat candidatus.*

Officiositas cum ambitu nata, & cum ambitu ferè extincta. Quisquis candidatus limina antelucanarum terit, turbæ se clientum commilcet, vt sibi conciliauerit gratiam, ad adorationis confugit patrocinium, adulationis obsequium. Dissertè Tertul. lib. de *Pænit. c. 11.* *Illos, qui ambitu obuent capessendi magistratus, neque pudeat, neque piget incommodus anima, & corporis, nec incommodis tantum, verum & contumelias omnibus emitti in causa votorum suorum. Quas non ignobilitates vestrum affectant? Que non atria nocturnis, & crudis salutationibus occupant? Ad omnem occursum maioris cuiusque persona decretescentes.* Se breuiant, imò vel seruilis indecore se humiliant; verum iam voti compotes officiositatem, aut obliuioni tradunt ingrati, aut imminuunt tumidi. Rapus est, qui iam assequutus, eisdem officiis honoret, ac candidatus. Ergo vt Annæ gratitudinem deprædicet Sacer Textus, eodem loco, quo orauerat anxia, orasse reulit assequuta: *Adorauerunt ibi Dominum, & orauit Anna.* Quid mirum oret, quæ ibi antea orauerat? Quid post adorationis obsequium opus fuit referre repetitum orationis officium? Quia ibi (inquit Caietanus) dimissiori corporis habitu, quam orauerat candidata, orauit Samuèlem iam assecuta. *Pro puero isto orauit* (aiebat) *& dedit mihi Dominus petitionem meam.* Filium adepta non solum orationem repetiuit, sed demissius & ardentius orauit: *Et orauit Anna.* Ergo Scriptura notauit, quia miraculi adinstar est, se officiosorem exhibuisse, dum constat iam impetrasse. *Incurruuit se ibi Domino,* legit Caietanus. Ibi se incurruuit filium adepta, ubi, vt impetraret, orauerat non curuata. Ego notatu fuit dignum, quia post votum officiositas, aut perit, aut languet.

MAXERA  
LIB. I.  
REG. 10.  
C. I.  
75

CAPVT II.

**I.** **X**VLTAUIT cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo: dilatatum est os meum super inimicos meos: quia letata sum in salutarum tuo. 2. Non est sanctus, vt est Dominus: neque enim est alius extra te, & non est sortis sicut Deus noster. 3. Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes: recedant vetera de ore vestro: quia Deus scientiarum Dominus est, & ipsi preparantur cogitationes. 4. Arcus fortium superatus est, & infirmi accinti sunt robore. 5. Repleti prius, pro panibus se locauerunt: & famelici saturati sunt, donec sterilibus peperit plurimos: & quæ multos habebat filios infirmata est. 6. Dominus mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit. 7. Dominus pauperem facit, & dicit, humiliat, & subleuat. 8. Suscitatur de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem: vt sedeat cum principibus, & solium gloria teneat. Domini enim sunt cardines terra, & posuit super eos ordem. 9. Pedes Sanctorum suorum seruabit, & impij in tenebris conuiescent: quia non in fortitudine sua roborabitur vir. 10. Dominum formidabunt aduersarij eius: & super ipsos in celis tonabit: Dominus iudicabit fines terra, & dabit imperium Regi suo, & sublimabit cornu Christi

Christi sui. 11. Et abiit Elcana Ramatha, in domum suam: puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli Sacerdotis. 12. Porro filij Heli, filij Belial, nescientes Dominum. 13. Neque officium Sacerdotum ad populum: sed quicumque immolasset victimam, veniebat puer Sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua. 14. Et mittebat eam in lebetem, vel in caldarium, aut ollam, sive in cacabum: & omne, quod leuauat fuscinula, tollebat Sacerdos sibi; sic faciebant vniuerso Israël venientium in Silo. 15. Etiam antequam adolerent adipem, veniebat puer Sacerdotis, & dicebat immolanti: Da mihi carnem, ut coquam Sacerdoti: non enim accipiam à te carnem cōctam, sed crudam. 16. Dicebatque illi immolans: incendatur primum iuxta morem hodie adeps, & tolle tibi quantumcumque desiderat anima tua. Qui respondens aiebat ei: Nequaquam: nunc enim dabis, alioquin tollam vi. 17. Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia retrahabant homines à sacrificio Domini. 18. Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer accinctus Ephod lineo. 19. Et tunicam parvam faciebat ei mater sua, quam afferebat statutis diebus, ascendens cum viro suo, ut immolaret hostiam solemnem. 20. Et benedixit Heli Elcana, & uxori eius, dixitque ei: Reddat tibi Dominus semen à muliere hac pro senore, quod commodaſti Domino. Et abierunt in locum suum. 21. Visitauit ergo Dominus Annam, & concepit, & peperit tres filios, & duas filias, & magnificatus est puer Samuel apud Dominum. 22. Heli autem erat senex valde, & audiuit omnia, que faciebant filij sui vniuerso Israël; & quomodo dormiebant cum mulieribus, que obseruabant ad ostium tabernaculi. 23. Et dixit eis: Quare facitis res huiusmodi, quas ego audio, res pessimas ab omni populo? 24. Nolite filij mei, non enim est bona fama, quam ego audio, ut transferri faciatis populum Domini. 25. Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: Si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo? Et non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos. 26. Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Domino, quam hominibus. 27. Venit autem vir Dei ad Heli, & ait ad eum: Hec dicit Dominus: Nunquid non aperire reuelatus sum domui patris tui, cum essent in Aegypto in domo Pharaonis? 28. Et elegi eum ex omnibus tribubus Israël mihi in Sacerdotem, ut ascenderet ad altare meum, & adoleret mihi incensum, & portaret ephod coram me; & dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorum Israël. 29. Quare calce abiieisti victimam meam, & munera mea, que praecepi, ut offerrentur in templo: & magis honorasti filios tuos, quam me, ut comederetis primitias omnis sacrificij Israël populi mei? 30. Propterea ait Dominus Deus Israël: Loquens locutus sum, ut domus tua, & domus patris tui ministraret in conspectu meo vsque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Absit hoc à me: sed quicumque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. 31. Ecce dies veniunt, & praeuidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua. 32. Et videbis emulum tuum in templo, in vniuersis prosperis Israël: & non erit senex in domo tua omnibus diebus. 33. Verumtamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo: sed ut deficiant oculi tui, & tabescat anima tua: & pars magna domus tua morietur, cum ad virilem aetatem venerit. 34. Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis, Ophni, & Phinees, in die vno morientur ambo. 35. Et suscitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum, & animam meam faciet: & aedificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Christo meo cunctis diebus. 36. Futurum est autem, ut quicumque remanserit in domo tua, veniat ut oretur pro eo, & offerat vnum argenteum, & tortam panis, dicatque: Dimitte me, obsecro, ad vnā partem Sacerdotalem, ut comedam bucellam panis.

\*\*\*

TEXTVS.

VERS. II. Exultauit cor meum in Domino,  
& exaltatum est cornu meum in Deo meo:  
dilatatum est os meum super inimicos  
meos, quia lætata sum in salutari tuo.

§. I.

Non semel ob filios in matres redundant charismata,  
& cumulantur caelestia dona.

**A**NNA non solum gaudet accepto filio fecundata, sed Prophetam enixa, prophetali spiritu exultat nobilitata, & iam hoc Cantico incipit futura prædicere, ut constat ob filium charismatibus eminere: exultauit cor meum in Domino. Notauit Procopius: Prophetiam hymno admiscet, propterea gratia quoque filio collata particeps facta est; nam cum Prophetam in utero gestaret, post partum & ipsa prophetauit; sicut etiam Elisabeth Ioannis filij, & Maria Christi seruatoris gratiam participauit. Ob Prophetam genitum spiritu prophetico resplenduit, & floruit. Et quod à diuinitate meretur, de felici prole colligitur. Aptè Cassiodorus 9. variar. 23. Rerum causa semper in semine sunt. Eructus edisus prodit

antorem, & quicquid à diuinitate meretur, de felici prole colligitur. In semine fuit prophetia materna causa, & quia Prophetam genuit, mater etiam prophetauit.

§. II.

Actiōne debet impleri, quod nomine constat promitti.

**V**ACUUM nomen non nobilitat, sed infamat, indecora nota est actionibus non impleri, quod nomine constabat promitti. Nomen actionibus nobilitatum conciliat reuerentiam, quia nullam patitur subesse fallaciam. Nominis sui grauitate perfusus aiebat Cassiodorus 6. var. 6. ornata actionibus principatum. Ecce Anna, que gratiam sonat, exultat in Domino, quando edito fructu nomen adimpleuit, & fidem nominis liberauit. Exultauit cor meum in Domino. Notauit Rupertus: Que canit hæc, & prophetissa est, & eadem, que secunda facta est gratia, quam & proprio nomine significat. Anna quippe interpretatur gratia. Erubescerebat nomen fructum promittens, & fructus sterilitatem patiens: iam vero exultat, quia nomen ornat, & fidem liberat. Dicant, qui nominibus promittunt sollicitam curam, indecoram depellere inestiam; nec enim obcuram notam possunt effugere, qui probantur factis nominibus contraire.

## §. III.

*Cor solum implet gaudium & virtute procreatum, non à delicijs vanissimus ortum.*

**R**identi fortuna. diuiciarum exundantia, aut aliarum rerum copia credimus gaudium enutriti, & florente; fallimur tamen, & nobis ipsis imponimus: obaratum est, immo fallax gaudium, quod non nascitur ex virtutum conscientia. Quæ vulgus existimat gaudia, foris nitent, sed mentito nomine fallunt. *Vulgo sic loquitur (aiebat Seneca epist. 59.) ut dicamus magnum gaudium nos ex illius consulatu, aut ex nuptijs, aut ex partu uxoris percepisse: que adeo non sunt gaudia, ut sapere futura tristitia sint. Gaudium autem iunctum est non desinere, nec in contraria verti. Quæ caducis nituntur, non habent stabile fundamentum, infirma, ac debili arena insidunt, & ad statum venti acris adspirantis facile corruunt. Qui in Domino gaudet, non nutat, nec ad vultus fortunæ trepidat. Ecce Anna iam fecunda solum in Domino exultat: *Exultauit cor meum in Domino, & cur non in filio, quia nouerat, verum gaudium, ac solum à virtute solum procreari, & ex labentibus non orti. Norauit Interlinearis: Non in laude hominum, non in vanitate. Ad modicum exultat vanitas, ad modicum dignitas, corda tamen non implent, imò aliquando distorquent.**

## §. IV.

*Beneficium à Deo collatum ad ulteriora promerenda sit incentiuum*

**Q**ui à Deo beneficium accepit, ad maiora accipienda resumat animum, nec ignauè sopuerit desiderium: pusilli animi est angustis vota sua concludere nec dignioribus inhare; vt auaris quidquid adieceris, non est finis cupiditatis, sed gradus; sic virtutis studiis cum ipsis virtutibus virtutum crescit desiderium, & cum bonis vltiora merendi votum. Acceperat Anna filium, & quidem Prophetam, nec tamen vnico, etsi nobili fructu contenta est, sed confidentiam crexit, & plura à Domino consequi studuit. *Exaltatum est cornu meum in Domino. Accipe Litam: Cornu in Sacra Scriptura accipitur pro motu cordis tendentis in aliquid arduum, est careat regula rationis, & legis diuina, dicitur cornu superbia: si autem dictis regulis mensuretur, dicitur cornu magnanimitatis, vel magnificentia, quod est quando animus ex beneficio à Deo collato in presenti per spem tendit ad maius beneficium ex Dei liberalitate consequendum. Sic autem mouetur Anna in augmentum gratia consequendum à Deo. Contenta non est accepto vnico filio depulisse sterilitatis probrum, sed ardentem virtutum, ac filiorum desiderauit augmentum.*

## §. V.

*Patientia vberes fructus adfert, & stabile gaudium gignit.*

**A**nxietas, dolorque æquanimitè, ac patienter latè vberem gaudiorum messem solent afferre. Vt enim campus vomere disponitur, vt maturis, ac copiosis fructibus dicitur, sic animus excultus patientia exultat virtutum copia. *Recordor bonam fidei valetudinem (aiebat Tertullianus de Patientia capit. 1.) & dominica discipline sanitatem non facit cuiquam, nisi patientia adsideat, prouenire. Vt peritia medici, infirmitas abigitur, & salus recuperatur, sic patientie tolerantia aspera defatigatur fortuna, & animi depellitur ægriomotia. Anna, quæ ante probra patienter tulit, & sterilitatis notam tolerantè sustinuit, iam solido gaudio repletur, & pro antiqua depressione exaltatur. *Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum. Adest Euthy-**

*mius: Quasi dicat: Cor meum, quod ob sterilitatis dolores laxatum, & molle effectum fuerat, nunc confirmatum est, consolidatumque, & corroboratum à Domino. Tristitia gaudio commutata est, & quæ sterilis dolebat, ipso dolore patienter sustentato dolorem depulit, & fecunditatis gaudium procreauit.*

## §. VI.

*Acceptæ dotes Domini liberalitati tribuendæ, non proprijs viribus applicandæ.*

**A**ccepit Anna sobolem, sed naturæ non tribuit, imò à Domino accepisse beneficium agnouit: *Exaltatum est cornu meum in Deo meo. Non gloriatur accepto filio tumida, sed à Deo accepisse publicat gratat, cum sint plures de acceptis beneficijs tumentes, & impudenter sibi applicantes. Ita Hugo: Exultauit cor meum pro sobole suscepta, in Domino, non in me meis meritis attribuens, vt superbiz non in laude hominum, vt vari; non in vanitate seculi, vt auari; sed in Domino, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum. Anna non ascribat naturæ viribus filium, non volaticum fecundatis scribebat plausum, sed grata confessione, & humili gratitudine acceptum ornabat donum.*

## §. VII.

*Iusti ab opportuna vindictæ occasione abstinent, & se intra virtutis limites continent.*

**A**nna ab æmula nimis afflictæ tacuit, accepto iam filio humilis floruit, nec Phenennæ vicem reddidit: *Exaltatum est cornu meum in Deo meo. Gauisa est in Domino, non de Phenennæ supplicio, cum iam Phenenna amissis filiis ingemisceret orba & doleret afflictæ. Ita Abulensis quest. 1. Non est intelligendum, quod Anna, suscepto filio, quasi habita victoria inultauerit contra Phenennam, quia hoc non erat virtuosæ Annæ, cui Deus largitus fuerat tantum beneficium, vt vindictam sumeret. Non ostentauit filium miraculosè acceptum, non verba aspera in Phenennam retorfit, sed à vindictæ, ac superbia prorsus abstinuit.*

## §. VIII.

*Eximia est virtus posse vindictam sumere, & abstinerè.*

**P**roterat Anna vindictam de Phenenna sumere, quando filijs orbata multabatur à Deo. Obiecerat olim Annæ Phenenna vuluam eius à Deo conclusam: vicem reddendi erat occasio, quandoquidem Phenenna lugebat filijs viduata; Anna verò ab omni vindictæ specie abstinuit, nec dolorem æmulæ addidit: *Dilatatum est os meum super inimicos meos, quia lætata sum in salutari tuo. Huius sententiæ sensus est, os meum dilatari poterat super inimicos meos, verum lætata in salutari Dei abstinui, & ora laudabili taciturnitate signaui. Ita Abulensis quest. 1. Dicit os sum dilatatum, quia posset ipsa dilatare iam illud, loquens multa contra Phenennam, data sibi opportunitate, sed nihil horum fecit. Filij Phenennæ tollebantur cœlesti multa: Anna verò Phenennæ non obiecerat, cum posset illud ob eius culpam infligi supplicium, nec vanum vindictæ querebat gaudium.*

## §. IX.

*Qui honestum affectus est desiderium, impendere tenetur decorum laudis tributum.*

**I**ngratorum ferè infinitus est numerus; alij obliuioni tradunt beneficium; alij affectant indecorum silentium; alij quod pendunt gratitudinis debitum modo denegauerit tributum. Anna verò dilatato ore beneficium confessa est, & gratitudinis obsequio largitorem promeruit.

meruit: *Dilatatum est os meum.* Ad quid dilatatum? Ad proferendas certè Dei laudes, ad pendendum nobile gratitudinis obsequium ad confitendum acceptum donum. *Postquam Anna descripsit bonum suum* (inquit Abulensis *quest. 1.*) *& gaudium sibi collatum, conuertitur ad describendum laudes quasdam Dei, nam pro susceptis bonis à Deo tenemur respondere, quod possibile nobis est.* Lato ore diuina protulit elogia, non effugit testes, non submissa voce reddidit grates.

## TEXTVS.

VERS. II. Non est Sanctus, vt est Dominus, nec enim est alius extra te, & non est fortis sicut Deus noster.

## §. X.

*Vera sanctitas se aliis communicat, & sui participes habere anhelat.*

**S**uperbi, turgidique singularitatem affectant, & supra scæteros eminare adlaborant. Lucifer solus sedere voluit, quia superbus, sed corruit superbiæ répestite depulsus. At Deus sanctitatis norma alijs sanctitatem inspirat, & sibi assimilare adlaborat: *Non est Sanctus, vt est Dominus.* Et quare? Quia alij non solum à sanctitate possunt excidere, sed quia eam non possunt communicare. At Deus ita licet, vt alijs claritatem impertiat; ita est felix, vt felices alios efficiat. Notauit Hugo: *Nota, quod non dicit: Non est sanctus nisi Dominus, sed dicit: Non est Sanctus, vt est Dominus.* Singulari luget sanctitate, non tamen respuit sanctitatis participes, immò curat illam communicando habere felicitatis consortes. Itaque edocuit, similes tumidè non refugere, sed communicatis dotibus antecedere.

## §. XI.

*Vel ipsa peccandi contingentia est quodam modo obscura nota.*

**R**esplendent oculis nostris flouidis luminibus astra, diuinis tamen aspectibus, teste lobo, inueniuntur non munda, quia licet lapsus vitarint ruinam, euasisse nequuerant contingentiam. Ergo posse cadere, vel stantibus aliquam attulit notam, & claritati præterdit vmbra. Huius veritatis non inscia Anna aiebat: *Non est Sanctus, vt est Dominus.* Et iure, quia cæteris potuit deesse, aut iam possessam sanctitatem potuerunt amittere; Deus verò nec carere potuit, nec excidere. Notauit Abulensis *quest. 1.* *Nemo est omnino incontaminatus scilicet actu, & potentia nisi Deus, quia licet aliquæ creaturæ fuerint immunes ab omni contagione siue Angelicæ, siue humanæ, poterunt contaminari, nisi præseruentur à Deo.* Aded abominabilis culpa est, vt vel eius obscurauerit contingentia, & innubilauerit vmbra.

## TEXTVS.

VERS. III. Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes: recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus est, & ipsi preparantur cogitationes.

## §. XII.

*Vaniloqui afferunt secum peccatum, & generant audientibus tadium.*

**V**aniloquus, tumidusque dum quærit gloriolâ, inuenit ferè semper in gratiam. Ergo Anna, vt pro iniurijs redderet beneficium, admonet Phenennam absti-

nere à vaniloquijs, & à verbis alios exasperantibus, & repungentibus nam turgentia exasperat, superbia irritat, loquacitas nimia molestat: *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes;* quasi dicat: vana gloria audientibus ingenerat tadium & affert secum peccatum. Ita Interlineatis: *Nolite multiplicare vaniloquia, vel turpilogia.* Adnecit Lira: *Anna inuehitur contra in gratiam superbia, qua Phenenna de prole sibi à Deo data superbiebat, de qua tamen deberet esse humilior, & Deo grator, & hoc est, quod dicitur: Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes, id est superba, & aliorum contemptiua, qualia erant verba Phenenna contra Annam. Phenenna iactabunda gloriabatur, sed dum despiciebat Annam, procreabat sibi miseriam. Et expende, non vetuisse sublimia loqui, sed factu, & animi elatione proferre.*

## §. XIII.

*Suspicionem ingenerant leuia verba & femina conspurcant labia.*

**N**ihil ab ore honestæ femina longius abesse debet, quam verba puritatis nitore non splendens, sed leuitatis indicia. Deducet honestam feminam sermo leuitatem spirans, & modestiæ splendorem obtenebrans. Ergo Anna Phenennam monet ab omni specie vanitatis abstinere, & verba leuia abinuit. *Recedant vetera de ore vestro.* Ad quæ Lira. *Id est, mala verba iam quasi ex longa consuetudine inueterata.* Et Glossa Interlinearis: *Vaniloquia, vel turpilogia.* Itaque Anna vtili consilio iniuriam compensauit, & à verbis leuibis abstinere prudenter admonuit.

## §. XIV.

*Parum interest externis officijs colere, si consistat praua intentione ferire.*

**P**olitici ad speciem sunt officiosi, vrbanis eceremoniis affectati colere, quem animitus desiderant deturbare. *Licet Serapidi iam Romano* (aiebat Septimius in Apologetico *cap. 6.*) *aras retraxeritis; Baccho iam Italico furias vestras immolaueritis, suo loco ostendam proinde despicere, & negare, & destrui à vobis aduersus maiorum auctoritatem.* Manus offerebat thura in adorationis testimonium, cum liuor, & odium anhelabat exaugurare, & sagaci industria sollicitabat destrucere. Exterior demisso ostentabat reuerentiam, sed fovebant præcordia inuidiam. Anna Samuelem iam enixæ vrbana congratulabatur Phenenna, sed interne discruciabatur inuidia: Ergo Anna docuit mentitis ceremonijs eius gratiam non posse mercari, quem animus peruersa quis intentione molitur destrucere: *Recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus est, & ipsi preparantur cogitationes.* Quasi dicat: Parum interest exterior cultus, si aduersetur interior animus. Adest Glossa Moralis: *Recedant vetera, id est, ceremonie.* Antiqua politicis, & aulicis consuetudo est, ceremonijs mentis affectum, cum præcordijs mutruerint odium.

## TEXTVS.

VERS. IV. V. VI. & VII. Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore, &c.

## §. XV.

*Aliquorum labia sagittarum adinstar vulnerant, & dum alijs inferunt vulnera, sibi imprudenter sollicitant detrimenta.*

**P**lures asperis verbis alios ferunt, & dum fatigant patientiam, exoculatam inflammant iram: alij imprudenter

## §. XVIII.

*Miserimum est post amplam fortunam incidisse in aduersam.*

prudenter iocantur, vt euandim lucentur sibi plautum, pungentibus adstantium salibus mouent illum, debissent tamen utriusque attendere non semel tumidis verbis, & facietis etiam inimicos conciliari, & aliorum rillum in dicacis luctum conuerti. Phenenna asperitiam, & vrentia verba ei aculabatur in Annam sterilitate afflicta; filij matris exemplum sequuti pungentium emittebant irrisionum sagittas; verum labra, quæ arcus aduulter feriebant, mœreore tabuerunt, & contra se, quæ emiserant tela, imprudenter conlarunt: *Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore.* Nomine arcus signari labia inuidencia liuida, & tumiditate turgencia testatur Lira: *Arcus fortium* (inquit) *vocat linguam Phenenna, & puerorum eius, ex qua procedebant verba pungentia quasi sagittæ.* Dum conabantur Annam ferire, sibi sollicitauere pericula, incrementaueréque detrimenta, & parvulorum sagittas, ipsorum factæ sunt plagæ; vt alieno damno dicas linguam frenare, & alios nec aspectis, nec iocosis ferire.

## §. XVI.

*Facile fortuna vertitur, & in contrarium mutatur.*

VT maris serenitas infida est, vtque nauis, quæ blandè aspirantibus auris vndis equitans ferebatur, subito aquilone resante mergitur, sic prosperitas in calamitatem momento vertitur, & mutatur. Fortuna hoc malum habet, quod inflat, & cæcat: non curant felices amicos sibi parare, quia non credunt posse ad sortem miseram deuenire: non cogitant serenitatem inopinis posse turbari procellis, & candentem splendorem conglobatis extingui nubilis. Anna tunc sterili insultabat Phenenna filiorum copia ditissima, sed citò fors in contrarium versa est, & luxit alia filijs orbata, & alia exultauit fecunda: *Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore.* Horum verborum penitentiorem hunc esse sensum testatur Abulenſis *quæst. 1. Arcus fortium superatus est, id est, fecunditas Phenenna fuit deuicta, cum conceperit Anna.* Sterilis olim filijs exundauit, & quæ exundabat, omnibus viduata ingemuit: ita vices alternantur, sic fortunæ labiles rotæ inuertuntur. Hieronymus Aegyptiis Hebræos despicientibus verba Annæ accommodit. Affligebant Israëlitas nullatenus veriti eorum posse in contrarium transire fortunam; verum impudentiæ dederunt pœnas, nam perierunt volatica potentia innixi, confusis vorticum voluminibus mersi, & contricti olim vinculis euolarunt triumphorum ditissimis spoliis onusti. *Arcus Aegyptiorum, id est, fortitudo, & potentia superata est, & infirmi, scilicet Israëlites confortati sunt.* Vna hora diuites ingemuerunt nudi, & nudi resplenderunt splendidi, vt dicas caducis non fidere, & amicos prouidenter parare.

## §. XVII.

*Solida fortuna constat virtutibus, infirma est, quæ seculi innititur splendoribus.*

QVI stat, videat, ne cadat; immò in quo stet, prudenter examinet, sciatque potentiam fortuna innixam non posse consistere, & nisi virtutis fundetur anchora, vanitatis flatibus citò circumvolui, & iactari: *Arcus fortium superatus est* (inquit Anna) *& infirmi accincti sunt robore.* id est, qui aduersæ fortunæ ad Deum clamauerunt fluctibus iactati, appulere portum securi; aut potentia humana solum innixi miserum subiere naufragium vndis abforti. Ita Abulenſis *q. 32. Fortes vocantur his, qui in se ipsis confidunt, & isti erant Phenenna, & filij eius, qui reputabant se gloriosos, & Annam esse miserimam.* Anna humilitate, oratione, patientia fortunam sibi acquisiuit stabilem, Phenenna humana felicitate florens citò amissis filijs emarcuit, & luxit.

*Eman. de Naxera in Reg.*

D

## §. XXI.

Calamitate affluens ipsa consuetudine obducit calum, & facilius toruæ calamitatis sustinet vultum, atqui circumfluentibus affluens delictis, premitur durius miseris. Ergo Phenenna post filiorum copiam orba grauiori ingemuit dolore adusta. *Saturari prius pro panibus se locauerunt,* id est, Phenenna multis prius filijs nobilitata, & fecunda, postea filijs decedentibus orbitare duriore est afflicta, & grauiori dolore icta, vt cui contigit panis frustum emendicare, cum prius soleret copiosis facultatibus refulgere. Adest Lira. *Loquitur metaphorice, quia prius satiati, si postea incurruerint famem, & defectum cibi, plus cruciantur; sic fuit de Phenenna, quæ fuit prius liberis plena, & postea mortui sunt.* Ni filios habuisset, orbitatem minus doleret; verum ipsa fecunditas durius exacerbabat animum, & exaggerabat tormentum.

## §. XIX.

*Nullus vitis desperet infectus; nec superbiat virtutibus floridus.*

EA est diuina misericordia, vt vitis fœdos & inferno proximos luce sua perfundat, & securum honestatis iter ingredi faciat; vt etiam ea est natura humana instabilitas, & prauitas, vt in virtutum castra se recipiat, & virtutis signa deserat. Quod in Anna profusus sterili, & in Phenenna fecundissima adspicimus adumbratum: *Sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata est.* Dominus mortificat, & viuificat. Anna vt potè sterilis videbatur generosis fructibus nunquam ditanda; e contra copiosa exundans Phenenna, prole nunquam caritura. Verum ne desperet virtute nudus, nec intumuerit virtutis luminibus exornatus, sterilis peperit plurimos auxiliante gratia, & quæ fecunda, infirmata est, sollicitante superbia. Ita Hieronymus: *Iudei dicunt, quod nato Samuele, mortuus est primogenitus filius Phenenna, & singulis Anna nascensibus filijs, singulis Phenenna sunt mortui.* Consonat Glossa Moralis: *Gentilitas, quæ sterilis erat in bonis operibus, ad prædicationem Apostolorum valde fructificauit, Iudæa per infidelitatem est infirmata.* Gentilis idololatria infectus peruenit ad veniam, Hebræus virtutibus floridus miseram est perpeſsus ruinam. Vt discamus, nec ob admittas culpas desperandum, nec ob virtutes excultissimas superbiendum.

## §. XX.

*Humilitas, aut propulſat damnum, aut affert securum remedium.*

QVI ob superbiam in periculum incidit, ad humilitatis recurat myrothecium, inueniet namque discriminis medelam, & efficacem contra imminens periculum medicinam. Dum Phenenna de fecunda prole tumet superba, tristatur etiam orbata. *Quæ multos habebat filios, infirmata est.* Non est profusus fecunditas extincta, sed infirmata. Quod si quæras, quo fuerit vſa medicamine ad infirmitatem depellendam; & salutem instaurandam, respondebit Lira, confugisse ad humilitatem, qua & effugit periculum, & conſequuta est remedium. *Quando vidit, quod Anna quintum conceperat, & appropinquabat partui, timuit de morte duorum liberorum, qui sibi remanserunt: propter quod humiliavit se coram Anna, & instanter petiit, vt oraret pro vita puerorum sibi remanentium, quod & factum est.* Agnouit prudenter viliorem esse pœnitentiam, quam pertinaciam, & quod incurrebat superbè tumida, periculum depulſit veraciter humiliata.

MANERA  
LIB. I.  
REG. II.  
CAP. II.  
25

## §. XXI.

*Ob iustorum orationes salus acquiritur, & mortis periculum propulsatur.*

**D**Ei amici plurimum apud eum possunt, & quod obnixè rogant, feliciter impetrant: qui in periculo constituti, si ad eorum orationem recurrant, non solum salutem recuperant, sed vitam etiam protelant. Phenenna filiorum ob mortem tristis: *Quæ multos habebat filios, infirmata est*, prudenter ad Annæ orationes se contulit, & vtiliter quidem; nam earum patrocinio salutem filiis obtinuit, & periculum effugavit. Ita Lira. *Humiliavit se coram Anna, & instanter petiit, ut oraret pro vita puerorum sibi remanentium, quod & factum est.* Annæ oratio fuit pro medicamine, iamque morti proximi vegeta fruuntur salute.

## §. XXII.

*De aliena calamitate letari, est propria felicitati invidere.*

**H**umanum est ridenti fortuna gaudere, immò & invidere: verum de alienis calamitatibus letari est periculofum, & inhumanum, quod non attulisset tumens propria felicitate superbia; constat periculum hæc detestanda læticia. Phenenna filios amisit: *quæ multos habebat filios, infirmata est.* Quòd si infirmitatis inquiras causam, respondebit Hugo, Phenennam de Annæ dolore, & calamitate gauisam fuisse. *Mali* (inquit) *non tantum de successu suo, sed & de malo proximi gaudent.* Gaudium aliena calamitate innutritum ingens Phenennæ attulit detrimentum, & quæ licet de eorum numerositate intumuerit superba, filios non amisit, dum de aliena infelicitate gaudet, deperdit: *Infirmata est.*

## §. XXIII.

*Iusti pro æmulis consueverunt orare, & iniuriis beneficia rependere.*

**V**itiosi, ingrati que pro beneficiis rependant iniurias; ita iusti pro iniuriis rependant gratias. Ecce Anna ab æmula afflictæ, & irrisoriis verbis durissimè diuexata, ut Phenennam vidit filiis orbari: *Quæ multos habebat filios, infirmata est*, orationibus obuiauit periculo, & restitit detrimento. Infirmata est, non extincta Phenennæ felicitas; quia expulsa est oratione, quæ imminabat, aduersitas. Ita Lira: *Humiliavit se coram Anna, & instanter petiit, ut oraret pro vita puerorum sibi remanentium, quod & factum est.* Non repulit toruo vultu æmulam, non despexit angustiam, immò fufis ad Deum precibus procurauit medelam. Sic enim iusti iniurias compensant, & laudabiliter vindicant.

## §. XXIV.

*Quem à periculo eripuisti, adscribitur tibi ad gloriam, & perseuerat ad famam.*

**Q**ui suis orationibus periculo occurrit, & pereuntem liberavit, sibi ad gloriam acquisiuit. Vbi noster Textus de Anna differens ait: *Peperit plurimos*, Hebraeus legit: *Peperit septem.* Cùmque constet septem non peperisse, dicunt Hebræi ipsi fuisse adscriptos Phenennæ duos filios, quos suis orationibus à periculo liberavit, & morti exemit. Ita Lira: *Illi duo pueri, licet essent ipsius Phenennæ, tamen de cætero vocati sunt pueri Annæ, eo quod eius orationibus erat eis vita concessa.* Proprios fecit, quos à periculo liberavit, & iure exinceps non tam dicendi erant filij genitricis Phenennæ, quàm conseruatricis Annæ.

## TEXTVS.

**VERS. VIII.** Suscitatur de puluere egenum, & de stercore cleuat pauperem, ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.

## §. XXV.

*Iusti apud sæculum despecti, solium gloriæ tenent in ipso abiectiois puluere stabiliti.*

**Q**uia omnes morimur, huius sæculi diuites cæco delirio, & ambitionis fatu existimant aternitatem sibi conquirere, si infans mausolæis, & superbis pyramidibus resplenduerint sepulti. Itaque mausolæorum pretio memoriam sibi aternare procurant superbi; sed non assequuntur vota obliuioni traditi. Humiles, & pauperissimi teguntur stercore, verum eorum memoria ipso despicabili viget puluere. Censebantur perire, sed congruo tempore ad aternitatem inuenti sunt resplendere. *Suscitatur* (inquit Anna) *de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem, ut sedeat cum principibus*, id est, cum Dei principibus sedebit gloriosus, quantumvis hic iacuerit & fordidus, & despectus. Ita Glossa Moralis: *Suscitatur de puluere egenum in futura resurrectione, ut sedeat cum principibus in throno gloriæ.* Itaque è puluere iustus suscitatur ad thronum, & è pretiosis ac elaboratis tota arte marmoribus iniustus educitur ad supplicium.

## §. XXVI.

*Gehennalem auspicatur pœnam, qui corde vipercam enutrit inuidiam.*

**I**nuidia vetustum malum, mortis mater, præpilatum contra optimos telum. Vipera ad instar corda nutrientis discipit, læuè que distorquet. Ob id Anna filiis facunda Phenennam illi inuidentem veluti ad inferni vestibulum descendisse, affirmat: *Deducit ad inferos.* Ad rem Hugo: *Metaphoricè loquitur, & est sensus: Dominus deducit Phenennam ad inferos, id est, ad summam afflictionem, id est, ad hoc, ut videret stragem filiorum suorum, & æmulam suam, quam prius despiciebat quasi sterilem, in filiis iocundari.* Inuidia Siculi non inuenere tyranni manus tormentum. Itaque Phenenna gehennali quodammodo adurebatur flamma, dum tetra discruciebatur inuidia.

## §. XXVII.

*Nullus de Deo iure queritur, si quæ sua sunt, pro libito dilargiatur.*

**V**ariæ sunt hominum fortes non cæca fortuna assignatæ, sed diuina prouidentia dispositæ: alius paupertate premitur, alius infirmitate vexatur; floret alter diuitiarum copia, & dignitatum possidet culmina. Nullus tamen de Deo potest iuste conqueri, cùm vti omnium Dominus sua possit pro libito dilargiri. Nam si cuique licet alterum alteri præponere, & copiosiori beneficio nobilitare, quando nullo iure cogitur, sed sola voluntate libera ducitur. Cur Deus nulla lege obligatus, suæque sanctissima, & prudentissima voluntate directus non valeat alteri diuitias, non imperiti, alteri concedere: *Dominus pauperem facit, & ditat* (inquit Anna) *humiliat, & subleuat: suscitatur de puluere egenum, & de stercore cleuat pauperem, ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat.* Subdit ratione, cur non solum sit irreprehensibilis, sed laudabilis: *Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem:* ac si dicar, salus, diuitiæ, dignitas, & quidquid inter fortunæ bona connumerantur, omnia sunt Numinis orbè sustentantis, & suffulcentis. Ergo liberum est ei, prout voluerit, distribuere, & variis



cladantur, corda dirumpunt. Hoc ergo tormentum impiis denuntiatur Anna, dum ait passuros tenebras, quin eis concedatur dolorem lenire clamoribus, aut manifestare eiulatibus: *Impij in tenebris conticescunt*, id est, cum horrendis, & nunquam luce illustrandis tenebris opprimantur, adhuc grauiori supplicio, taciturnitate scilicet, adurgentur. Est enim non ferenda calamitas, si dum vrit acerrima animum flamma, ne ardor spiret, claudantur ora. Accipe Hugonem Cardinalem: *Id est, confusi tacebunt, iniquitas oppilabit os suum*. Ipsa iniquitas, quae fouet tormenta, oppilat ora, & cum viscera saeuo dolore conster dilaniati, querelarum solatia non poterunt inuenire. Mari acti ventorum flatu repercusso tacere iubet Dominus: *Tace, obmutescere*, sed & ventum fecit cessare: *Cessauit ventus*, Marc. 4. vers. 39. quasi supra maris viues esset, si repetitis venti adfultibus instigaretur ora comprimere, & fremitus leuamen non querere. Opportune Seleucensis Basilios orat. 22. *Fugiebant venti, coerebantur vnde*. Irritorem fecit cessare, cum pelago iussit tacere; esset enim arduum ora taciturnitate signare, & procellis repetitis vrgeri.

## §. XXXIV.

*Saepe fortitudine, ac felicitate sua vanè confisi, inopino turbine corruerunt deiecti.*

**S**Vnt, qui vana fiducia vltra aduersae fortunae limites se constituant, nec deijci posse credant. Nil humanum vices ignorat. Quis crederet idola sufflitibus, & opimis victimis culta sub hasta venditanda, & tamen docuit experientia adoratam illam ad speciem diuinitatem conduci. Audi Tertullianum in *Apolo*, cap. 13. *Si capitolium, si olitorium forum petitur, sub eadem voce praecoris, sub eadem hasta, sub eadem annotatione quaestoris diuinitas addita conducitur*. Proh instabilis celsitudo! Minerua in trullam, & Saturnus transiit in cacabulum. Non animaduertunt Deum caelis praesidere, & posse quam cicissimè procellis turbiniibus deturbare: *Non in fortitudine sua roborabitur vir*. Quare? Quia in caelis Numen tonat, & tempestatibus quatit: *Dominum formidabunt aduersarij eius, & super ipsos in caelis tonabit*. Ita Rabbi Leui: *Saepe fit, ut Princeps potentissimus ab infirmiori superetur, quia non est fortitudo hominum, ut pareretur victoria; sed quoniam iussi Deo cura sunt, ideo vincunt*. Concinit Hugo: *Quasi dicat: Formidare debent eum aduersarij, quia super ipsos tonabit, sicut legitur Iosue 10. Qui videbantur fortissimi, quam cito ingemuerunt deiecti.*

## §. XXXV.

*Diuinum iudicium praeter ceteris calamitatibus est timendum.*

**E**A homines aliquando amentia possidet, vt diuinas vires despiciant, & contra omnipotentem temere audeant. Ergo vt ab hac amentia eos Anna reuocet, iudicij extremi memoriam infert, quasi nec deliri queant non vereri, quod ad aeternitatem constar spectare. *Dominum formidabunt aduersarij eius, & super ipsos in caelis tonabit*. Et quomodo tonabit? Audi: *Dominus indicabit fines terrae*. Fines terrae iudicans, & omnia ad aequitatis lancem examinans, ad acerrimum timorem cogit. Et quidem timere fas est horrifono tonitruis armatum, & eluctantibus fulminum flammis munitum; ast quia hominum periculosa vecordia solet obfuscescere, adnectit, futurum iudicem, quasi nec vecordes, nec pertinaces possint non timere, quem non dubitant aqua trutinam, & acutissima perspicacia hominum causas examinare. Opportune Hugo Cardinalis: *Quasi dicat: Non solum formidandus est Dominus, quia tonabit, sed etiam quia indicabit fines terrae*. Adeo horrendum iudicium est, vt quamvis despiceretur Deus tonans, timendus esset diiudicans.

## §. XXXVI.

*Ea est diuina misericordia, vt prius horrifono deterrat tonitruo, ne index supplicio condemnari eterno.*

**M**Erentur impij inopina morte multari, & aeternis poenis addici; ea tamen est pienuissimi Dei misericordia, vt ne inueniat, quos punit, instare periculum praemissis signis admoneat. Filij hominis vox aquarum multarum imitabatur naturam, cum ex eius ore gladius fulgurabat acutus. *Vox illius tanquam vox aquarum multarum*. . . & de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat. In aqua admonitionem designari testatur ad hunc locum Anselm. *Vox, id est, admonitio illius continet vim doctrinarum multarum*. Ne inueniret, quem feriat gladius, praecedit aquarum sonitus: vndarum se adurgentium salubris strepitus admonet vel furdos, ne gladius inueniret imparatos. Accinit Anna: *Dominum formidabunt aduersarij eius* (inquit) *& super ipsos in caelis tonabit, Dominus indicabit fines terrae*. Quasi dicat: quia in iudicio locus misericordiae non est, super impios tonat, vt depulsis splendens fulguris luce tenebris oculis aperiant, & ad salutarem se timorem recipiant. Ad rem Hugo: *Ita facit Dominus, ideo Dominum formidabunt*. Incutit formidinem tonitruo, ne immutabili premat decreto. O quam vult perire, qui admonitus non curat iudicis indignationem vitare. Consonat Abulenſis q. 5. *In caelis tonabit, id est, Deus emittet tonitrua de caelo super illos ad terrendum eos*. Ne extremo iudicio premat, timorem incutit, & ad tuta confugere admonet.

## §. XXXVII.

*Plus homines suspiciunt potentia praeditum, quam virtutibus exornatum.*

**H**OMines potentiae splendorem suspiciunt, & dignitatibus resplendentem extollunt. Virtus frequenter parui habetur, & apud saeculum depreiatur. *Florentes amicorum in haec circumsedit* (inquit Seneca epist. 9.) *circum euerſos ingens sollicitudo est: & inde amici fugiunt, vnde probantur*. Vultus demissionem, plausum, reuerentiam, & quidquid humano fastigio penditur, cogita negotiationem esse; si spes deficiat, cessabit cultus, quantumvis euerſus virtutibus fulgeat decorus. Huius veritatis non ignara Anna de Christo loquens, praedicat summo imperio donandum, si possit ei reuerentiam conciliare, & inimicorum audaciam reprimere. *Dabit imperium Regi suo, & si blinabit cor in Christi sui*. Quasi dicat: Si Christum omnium virtutum genere exornatum non colitis, sublimi dignitate exaltatum suspicite: moneat reuerentiam dignitatis splendor, si apud vos parui habetur virtutis fulgor. Adest Abulenſis quaest. 5. *Deus sublimabit cornu Christi sui, id est, faciet excellentiam Messiae esse valde magnam, quia praeposuit eum omnibus gentibus, & populis*. Potentissimum Messiam praedicat, vt ad eius cultum, & reuerentiam adducat.

## TEXTVS.

VERS. XI. Et abiit Elcana Ramatha in domum suam: puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli Sacerdotis.

## §. XXXVIII.

*Vel malo Pralato est reuerentia exhibenda, & obedientia in licitis est praestanda.*

**P**Rinceps, & quisquis praeficitur, ornatus dignis moribus aestimatur; omnium utilitatibus curam tenetur impendere, & quem à populis reuerentiae tributum consistat

constat accipere, sollicita vigilantia, & vigilanti sollicitudine compensare. *Designato viro praeferre consequentur obsequium* (aiebat Cassiodorus. 6. variar. 25.) ut sicut vos non parum emolumentorum commoda perdevetis, vos parentis debetis praeferre regni a custodire Honorabile inter subiectum, & superiorem commercium est; alter sollicitam gerit curam, & alter dignam exhibet obsequium. Et quamvis dignitatis infulus decoratus moribus agnoscatur obscurus, non est denegandum obsequium, dum equitati non adversetur mandatum. Samuel in conspectu Domini ministrat Heli obediens, & eius mandata reverenter adimplens: *Puer erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli Sacerdotis.* Iam si quaeras, quid Heli interpretetur, respondebit Glossa, a Deo extraneum designari. *Heli interpretatur extraneus, a Deo enim alienus est, qui subditos non corrigit.* Heli carebat virtutibus, verum Samuel non detrectabat obedire, quia ceteris agnouerat praesidere. Dignitati exhibebat expromptissimam obedientiam, obscuris moribus denigratam non respiciebat personam.

§. XXXIX.

*Vel sub negligente superiore a ratione non deniat bene moratus, sed studet virtutibus religiosus.*

Quis sit quisque, licentia ostendit: qui arbitrio suo relicto, & otii opportunitate persuasus honesto se labore exercuit, & vitii sollicitudini inuigilavit, solidae virtutis discipulum se ostendit: coactio quantum violentiae addit, tantum honestatis demit. *Illo nomine te suspice!* (inquit Seneca epist. 18.) quod fasces non coactus. Virtus sui ipsius lex est, eodem tenore sibi constat oculos passa, ac ab arbitris longe femota. Samuel templo addictus munus exacte adimplebat, quamvis superioris negligentia non cogeret ad officium, imo suaderet tacite otium. *Erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli Sacerdotis.* Eli deviantes subditos non corripbat ignavus, ob id tamē Samuel non dormitabat otiosus, imò in conspectu Domini ministrabat sollicitus. *Heli* (inquit Glossa) interpretatur extraneus, a Deo enim alienus est, qui subditos non corrigit. Poterat Samuel uti perniciose superioris ignavia, verum ipsa delinquendi licentia magis tenuit eius sollicita vigilantia.

§. XL.

*Non semel subditi attendunt minus Numinis vultum, quam superioris conspectum.*

Verus obediens Deus attendit, dum superioris mandatum implet. Sunt tamen, qui sollicitius studeant superioris elucrat gratiam, quam praefixam legis implere regulam: ab arbitris femota se ipsa virtus contenta est; non exambit, nec timet oculos, sic agit, ut conspici non erubescatis procedit, ut plaudii non cupiat. Samuel potius attendebat Numinis placitum, quam Heli praecipiens vultum: *Erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli Sacerdotis.* Dei reuerentur oculos religiosè sollicitus, non studebat Heli gratiam captare ipsa sedulitate ambitiosus: non erat negotiationis artificiositas officiositas, sed virtutis testimonium sedulitas. Inuit Hugo: *In conspectu Domini sub Heli.* Obediebat Heli, non ut eius acquireret gratiam, sed ut praestaret diuinis iussionibus obedientiam.

§. XLI.

*Obediens non deligit obsequium, sed expromptum, ac indifferens obediendi gerit studium.*

Sunt, qui obediunt, sed in his, quae ipsis, & arrident, & placent: amplecti detrectant aspera, sedulè obe-

diunt, si iniungantur sibi iucunda: pro materiae varietate inveniuntur tardi, aut exprompti; obedientiam sibi faciunt deseruire, etsi ad speciem videantur parere. Fucata obedientia non obsequitur, sed mentitur, Samuel obedientium norma non delegit sibi ministerium, sed prompto animo quodvis amplectebatur mandatum: *Erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli Sacerdotis.* Notavit Abulensis quæst. 5. *Coram Heli, scilicet, quod ministrabat ad omnia, quae illi iubebat.* Non obtemperabat, cum solum iubebantur iucunda, sed obsequabatur, quamvis essent laboriosa; ad omnia paratum gerebat animum, & expromptum semper affectum.

TEXTVS.

VERS. XII. & XIII. Porro filij Heli, filij Be-lial nescientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad populum: sed quicumque immolasset victimam, veniebat puer Sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fusculam tridentem in manu sua.

§. XLII.

*Si degenerent Deo dicati, sedioribus criminibus inveniuntur infecti.*

Si ad ornatum dignitatum certum est pertinere omnium virtutum laude conspicuos eligere, si de seruientium claritate crescit fama dominorum, qua lege tenetur, qui diuinis adpectibus mancipatur. *Moribus debet esse conspicuus* (aiebat Cassiodorus 3. variar. 3.) qui datur imitandus. Imitandi proponuntur, qui Sacerdotalibus luminibus emicant decorati, qui sacris religiosorum cœtibus annumerantur adscripti. His conueniunt, quae Theodericus persuadebat Senario: *Tuere hanc virtutum anabilem, praclaramque constantiam, nostraeque domus auctoritate subnixus tanto studiosius gratiam quare, quantum te locum beneficijs respicias inuenisse. Tende itaque adhuc bonis actibus tuos ad potiora successus, sciens gratiam nostram in illo semper augeri qui se dignum adepto culmine desiderat inueniri. Ad potiora debet aspirare, qui locum adaugenda obsequijs gratiae adinuenit, sed aliquando sic dignitatis splendore nonnulli obeccantur, ut licentius omni vitiorum genere depraentur, & quia semel heroicis actibus resplenderunt, iam post saeculi fugam saeculum exambunt studiosius, & a rectitudinis, religionisque regula exorbitare solent facillius: saecularium excedunt longè malitiam, & supergrediuntur saepissime audaciam. Ecce filij Heli, quia Sacerdotio, temploque dicati, ut inanis appetitionibus adulentur, denigrati grauissimis criminibus inveniuntur, oculos despiciunt, munus in rapinam conuertunt, & nullis libidinibus parcunt. Nescientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad populum, &c. Ita erant Sacerdotes, ut officium nescirent, & auctoritate abusi procacius auderent. Adest Hugo: *Circa homines iniuriosos, & circa diuinitatem impijs, nulli que iniquitati parebant.* Virtutis semel statuta transgressi, omni impietate, & scelere sordescant denigrati.*

§. XLIII.

*Non semel ad munus eleuantur electi, qui muneris inveniuntur ignari.*

Tales prouehere principem decet (aiebat Cassiodorus, 3. variar. 3.) ut quoties procerem suum fuerit dignatus aspicere, toties se cognoscat recta iudicia habuisse. Iudicio suo plaudit, qui ad eligendum merita candidati perpendit; qui fauoris, aut cognationis titulos adipiscit, cum electum inuenit, rubore saepe perfunditur. O quoties fauor pro-

MAXERA  
LIB. I.  
REGUM.  
CAP. II.  
75

merito est, & cum munia, dignitatesque debeantur virtute conspicuis, & scientiarum luminibus decoratis, tribuuntur indoctis, & muneris inexpertis. Ecce filij Heli munus Sacerdotale prorsus ignorantes: *Nescientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad populum*: Solum quia filij Heli dignitatis infulis lucet exornati, & ad excelsum culmina electi. Ita Hugo: *Nescientes ignorantia, vel negligentia, vel contemptu*. Quamvis ignorantes, vel negligentes, ad dignitatem resplenderunt assumpti, quia ut filij Heli de Sacerdotali sanguine procreati. Repetat Cassiodorus 8. variar. 23. *Qui nobis sanguine coniungitur, plus mereatur.*

## §. XLIV.

*Magnatum filij omnia sibi licere putant, & legis iugum ignorant.*

Qui illustri sanguine procreati omni virtute florere debent conspicui, & cum eximia parentum facinora extiterint, celsitudinis, ac nobilitatis vena, dedecet discrepare, qui gloriantur prædicandis parentibus exoriri. Verum quod ad cultos mores deberet esse fomentum, ad eorum corruptelam probatur esse incentiuus. Miraculi adinstar est, si nobilis legis patriatur iugum, si æquitatis non ignoret impetium: singulari elogio celebratur à Cassiodoro 8. variar. 23. Bergantinus, quia nobilitatem moribus exornauit, nec ad licentiam detorsit. *Quem nec nobilitatis sue inflat elatio, modestia humilis, prudentia semper æqualis. Quid à nobis mereatur, intendere, quamiam ad gloriam nostram trahimus, qui eum proximum confitemur.* Origini moribus splendorem addebat, ut de eius affinitate traheret gloriam, qui eandem fortiebatur naturam, verum frequenter natalium splendorem, est morum nubulum, & qui spectabili origine procreati, virtutibus inveniuntur aduersi. Ecce filij Heli Sacerdotis magni, vocantur Belial filij: *Filij Heli, filij Belial*. Belial interpretatur absque iugo, ut horum exemplo nos textus edoceat, magnatum filios ignorare iugum, nec pati frantum. Audi Interlinearem: *Filij Belial, absque iugo, absque Domino*. Quia nobili sanguine procreati dominium Numinis non agnoscebant: *Nescientes Dominum, & legis præscripta procaciter temerabant: Neque officium Sacerdotum*. O quot inveniuntur, qui nobilitate, & fortuna inflati legis excuriunt iugum, & rationis detrectauerunt impetium!

## §. XLV.

*Sunt, qui muneris ignorent onera, cum non ignorent stipendia, nec lucra.*

Munera, officia, annexos habent labores, sed prouentibus mollitos, & stipendijs remunerandos. Inuenies tamen aliquando ad munera elatos, qui ignorant muneris onera, cum nouerint, quæ ad illos pertinent stipendia, Heli filij nesciebant Sacerdotum officium ad populum, non tamen ignorabant à populo deberi sibi stipendium. *Nescientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad populum, sed quicumque immolasset victimam, veniebat puer Sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam eridentem in manu sua.* Studiosissime sollicitabant sibi stipendia, cum negligenter implere munera. Ita Rabbi Leui. *Curabant prius suam mensam, quam altare Domini.* Nō parcebant prouentibus, sed laboribus.

## §. XLVI

*Nonnulli affectant ignorare, quod refugiunt exercere.*

Est humani cordis prauitas, ut studiosè fingat ignorantiam, ut ignorantia colore dissimularit malitiam. Plures fingunt se nescire, quod refugiunt exercere.

Filij Heli Sacerdotum officium affectabant ignorare, quia muneris leges detrectabant adimplere: *Nescientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad populum*. Quod erat mera malitia, prætendebatur caeca ignorantia. Officium Sacerdotum nesciebant, ut perfecterent, ut dignis actionibus exornarent. Ita Abulenlis quæst. 5. *Non cognoscebant officium Sacerdotum, non quidem quod ignorarent, qualiter ministrare deberent, sed quia volebant agere, ut lex iusserat.* Officij legem edocti, & de caeremonijs instructi non poterant cupiditati adulari, nec ad liberè statuta lege, & consuetudine fulcita præuicere: ergo fingebant, legem se ignorare, quo valeret legem infringere. *Nolebant agere, ut lex iusserat.* O quot ad ignorantiam, inscitiamque profugia se conferunt, & vmbralem malitiæ suæ exultationem prætendunt! Quod hac, aut illa causâ nolumus exercere, adfectamus sapè nescire.

## §. XLVII.

*Non nulli Reipublica ministri studiosos curant sibi diuitias acquirere, quam censum Principis adaugere.*

Decet quidem cunctos patriæ suæ augmenta cogitare (aiebat Theodoricus 4. varia. 30.) *Sed eos maxime, quos Reipublica sibi summis honoribus obligauit. Quia ratio verum est, ut cum necesse sit plus debere, qui visus est maiora suscipere.* Ratio statet, ut minister à Principe electus, quæ ad Principem pertinent, procurat sollicitus; verum non semel ratio euerit, & Principis census, aut postponitur, aut contemnitur. Auctoritas à Principe deriuata contra Principem vertitur, & ministrorum cupiditatibus famulatur. Heli filij Sacerdotum infulis decorati sollicitius debuissent adipescere ad Domini partem spectantes altari offerre, quam designatas sibi victimarum partes procurare: verum ordinem à lege præscriptum inuertebant, & sibi prius studebant acquirere, iuraque extendere: *Veniebat puer Sacerdotis, dum coquerentur carnes: non veniebat, ut adipescerent Domino conferendos acciperet, sed ut violenta sibi fuscinula taperet.* Notauit Rabbi Leui. *Curabant prius suam mensam, quam altare Domini.* Vt ministri à Domino honoribus aucti, & sacrificijs perficiendis electi tenebantur Domini prouentibus studere; curabant tamen solummodo sibi acquirere.

## TEXTVS.

VERS. XIV. Et mittebat eam in lebetem, vel in caldarium, aut in ollam, siue cacabum, & omne, quod leuabat fuscinula, tollebat Sacerdos sibi. Sic faciebant vniuerso Israeli venientium in Silo.

## §. XLVIII.

*Satius est sepe grauari, quam cum Reipublica ministris contendere.*

Rationum publicarum nonnulli ministri non immerito possunt febris molestissima comparari: nam ut febris grauar, & debilitat, nisi sub celeritate discedat, sic ministri, nisi celeriter discedant, & debilitant, & grauant. Prudens (aiebat Cassiodorus 12. var. 10.) *seipse compellit; minus cautus est, qui vrgetur ab altero.* A ministro vrgeri est detrimenta sibi multiplicare: ergo cautus, ne cõdenderit, tacet, & te ad tacendum compellit. Sacerdotis minister fuscinula armatus non solum taxatam sacrificij partem deposebat, sed, quancumque vellet, leuabat: *Omne, quod leuabat fuscinula, tollebat Sacerdos sibi.* Quæres, cur offerentes pro se legum non afferrent præscripta & sua tuerentur iura? Cur permittebant aucto-

itate

ritate ministrum abuti, & armatum auctoritate furari: Quia facilius ducebant sibi esse tacere, & minori grauius detrimentum redimere. Minister allegaret violentam repulsam, illatam iniuriam, Sacerdotum auctoritatem despectam, & grauius irgeretur causa, qui legis, ac aequitatis tueretur praescripta. Ergo ne minus haberetur cautus, si cum ministro iudicis, ac Sacerdotis contenderet, malabat quid perdere, quam factiosis querelis, & multiplicibus causis pulsari. Notauit Abulensis *quest. 8.* Offerentes *quoniam scirent se grauari accipiendo ab eis talia iura, potius tamen volebant grauari, quam contendere cum Sacerdotibus.* Ni violentia cederent, variis, ac coloratis causis eos ministri circumuenirent. Ergo, vt sibi consulere, euitabant litigia, ex quibus grauiora emergent detrimenta.

## S. XLIX.

*Stipendia lege taxata ampliantur, & per fas, aut nefas a non debentibus extorquentur.*

**A** lege iudici stipendium praescribitur, & militi annona taxatur: verum cupiditas gliscit, & auctoritas, aut ferocia legem contemnit. *Prædoni similis est* (aiebat Cassiodorus 11. *variar. 12.*) *qui sub iniqua cupiditate distrabere: utroque enim constat velle aliena diripere, & considerationem iustitiae non habere.* Quod prædo sinuosis montium latebris tentat in medio populo iustitiae aliquando minister non reformidat; ipse sibi stipendium praescribit, & velis, nolis, extorquet. Quid ex hostia pacifica Sacerdotibus proueniret, *Leuit. 7.* definiēbat; verum minister fuscina armatus extendebat iura, & auferēbat violentia: *Omne, quod lenabat fuscina tollebat Sacerdos sibi.* Ata erat latrocinii pro Sylua, & vbi vigere debuisset florida, ibi lucebat lex constuprata. Audi Abulensem *quest. 7.* *Habituarii erant Sacerdotes de hostia pacifica partes quasdam, vt patet Leuitici 7. Pro his autem veniebat puer, licet in hoc excederet vt pater hic.* Honesto titulo veniebat, sed vt legem proculcāret, & auaritia exocularē indulgeret. Quam otiosē lex præmiū praescripsit, quando cupiditatis arbitrium sibi taxauit, & potestas violenter tulit!

## S. L.

*Ad iuris, & aequitatis tutelam designati, iura, & aequitatem aliquando subuertunt, auctoritates, & potentia abusi.*

**M**isera ingemiscit Respublica, si in aucupia conuersa sint tribunalia, si ipsum remedium in infirmitatis transeat auxilium, si miles ad prouinciæ tutelam armatus ferocitatem insatiabili cupidine adustus. *Ne quod ad lenamen inuentum esse constat* (aiebat Cassiodorus 11. *variar. 12.*) *detestabile potius grauiamen instigat.* Detestabile grauiamen infligit, qui pro legibus designatus legibus inuenitur aduersus. In obscuris syluarum recessibus furis grauatatur audacia, non tamen præmiis audax remuneratur violentia: at si legum, aequitatisque patronum corruerit auaritia, non solum sustinetur iniuria, sed procax remuneratur audacia. Iam Hebræorum Respublica propinquabat occasui, cum pro Dei cultu designati, & pro iure dicendo electi & despiciēbant aram, & proculcābant iustitiam. *Quidquid lenabat fuscina, tollebat Sacerdos sibi.* Sancta statuta, laudabiliterque sancta transgressi omni impietate, & scelere fordescebant denigrati. Accipe Hugonem: *Circa homines iniuriosi, & circa diuinitatem impij nulli iniquitati parcebant.* Cultus emarcuit, iustitia ingemuit, & quod nequireret sustinere aequitas, & religio ab hostibus, sustinebat à Sacerdotij, & iustitiæ magistratibus.

## S. LI.

*Suppellectilia sacris ministeriis adsignata, non semel ad profanos vsus violantur detorta.*

**Q**uæ sacris ministeriis deputantur, ab omni vsu profano debent resplendere immunia, & omni puritate decora. Religio læditur, si quid audaci temeritate polluitur. *Cum Rex Alaricus urbis Romana depredatione satiatus* (scribit Cassiodorus 12. *variar. 20.*) *Apostoli Petri vasa suis deferentibus excepisset, mox vt rei causam habita interrogatione cognouit, sacris liminibus deportari diripientem manibus imperauit: vt cupiditas, qua depredationis ambitu admererat scelus, deuotione largissima deleret excessum.* Impuris manibus horruit tractari vasa, quæ sacris ministeriis non dubitabat addicta: sed quod Imperator exhortuit, templi minister despectit. Fuscina tridentis, quæ sacrificiis peragendis inferuebat, puer Sacerdotis carnes semicoctas leuabat. *Habebat fuscinulam tridentem in manu sua, & mittebat in leberem, &c.* Quod fuscina de sacratis instrumentis fuerit, testatur Abulensis *quest. 8.* *Erat ista fuscina de vasis sanctuarij pertinentibus ad altare holo. austorum.* Ad holocausta pertinebat fuscina pertinebat, & Sacerdotis puer sacro instrumento vtebatur ad faciendam cupiditatem, temerandamque religionem. *Puer Sacerdotis* (praemisera Abulensis) *portabat semper fuscinulam secum ad extrahendum carnes.* Decurtabat, impediēbatque sacrificium, quæ fabricata fuscina ad holocaustum. Et Iacob etiam sine crimine Sacerdotalibus vestibus fragrat, vt sibi benedictionem præcipiat: *Vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum.* *Genes. 27. vers. 15.* Ea ornamenta fuisse ad offerenda Numini sacrificia, testatur Lira hic: *Primogeniti erant Sacerdotes, & ideo habebant vestes speciales pretiosas, & odoriferas, quibus induiti in magnis solemnitatibus offerebant oblationem Domino.* Vestis dicata religio sacrificio, dolo sine dolo inferuit arcano; vt compertum esset, ornamenta, suppellectiliaque sacris mysteriis adscripta aliquando alijs vsibus inferuire adulterata, & detorta.

## TEXTVS.

**VERS. XV.** Etiam antequam adolent adipem, veniebat puer Sacerdotis, & dicebat immolanti: Da mihi carnem, vt coquam Sacerdoti: non enim accipiam à te carnem coctam, sed crudam.

## S. LII.

*Qui forte in seculo parcē, angustēque viuerent, in Cœnobij discipiunt lautiori mensa vti, & cibis delicatioribus vesci.*

**C**œnobium est mortificationis schola, paupertatis disciplina, noua temperantiæ: ibi ergo solent lautitias exambire, qui in seculo cogentur vitam angusta mensa, & insulis cibis alere. Timotheus Pauli discipulus, teste Chryostomo *homil. 1. ad populum.* *lauticum aspernabatur, & sumptuosam mensam deridebat.* Merito deridebat delicatum Christi militem, & quamvis saporatis ferculis vesci graue non fuerit delictum, in virtutum, ac religionis castris degenti videtur semper culpæ imputandum. *Deliciis vacare* (aiebat Chryostomus *homil. 15. ad populum*) *non videtur esse crimen manifestum, atque expressum; autamen multa nobis parit mala scilicet, ebrietatem, furorem, auaritiam, rapinas.* Pugnat secum institutum, & desiderium, in frugalitatis, temperantiæque regno viget edacitas, & ambitur sumptuositas. Altaris ministris de hostia pacifica quædam coctæ partes adsignabantur: verum Heli filij respuebant coctas,

coctas, expetebantque saporatius conditas: *Non accipiam à te carnem coctam, sed crudam.* Crudam accipere volebant, ut variis condituris disponerent, & pararent. Ita Hugo Cardinalis: *Auferebant partes suas crudas ab offerentibus, & lautius faciebant parari.* Qui ni templo, Sacerdotioque adscripti fortassis non assequerentur coctas, carnes desiderant saporatas; & cum laici coctis carnibus vescerentur, respuebant, qui muneris institutique lege ad frugalius edendum tenebantur, quasi mortificationis scholam fuerint ingressi, ut lautius pinguescerent innutriti.

## §. LIII.

*Qui palato inseruit, legem non semel infringit.*

Natura paucis contenta est. Quidquid naturam excedit, contra ipsam solet pugnare naturam: multis seruit, qui palato inseruit. *Esurio: edendum est* (aiebat Seneca epist. 119.) *virum hic panis sit plebeius, an sfigineus, ad naturam nihil pertinet. Illa ventrem non delectari vult, sed impleri satio. Vtrum hac aqua sit ex lacu proximo excepta, an ea, quam multa nive elusero, ut rigore refrigeretur alieno, ad naturam nihil pertinet.* Edacitas contra naturam pugnat, & dum fudit ad supervacua, cum cibis ipsis solet deglutire delicta. Qui naturalibus desideris noua cupiditatis inuenta addit, in turbulentum mare se immittit. Lex altaris ministris quasdam partes victimarum assignabat, quas immolans coctas reddebat. At filij Heli, dum lautius discipiunt viuere, legem probantur violare. Minister fuscina armatus plus conatur accipere, & alio modo disponere: *Da mihi carnem, ut coquam Sacerdoti.* In Hebræo habetur: *Ad assandum Sacerdoti:* gulosi, & delicati legem infringunt, ut palato inseruiant, & lautio rem mensam habeant. Notauit Lira: *In Hebræo habetur: ad assandum Sacerdoti; propter hoc enim volebant accipere carnem crudam, ut coqueretur, & pararetur ad eorum voluntatem contra Dei legem.* Palato adulati legi probantur iniuri, dumque exambiunt mensam extendere, & legem aggrediuntur violare: ut noueris palato deditos & legem contumere, & iustitiam lædere

## §. LIV.

*Aliquando pro absolucndis negotiis muneratus inuenitur impediuiffe, aut tardasse.*

Qui alterius inuigilat commodis, fas est dignis remunerari stipendiis. Deprædicandum commercium est, si alter incunctanter debita labori obtulerit stipendia, & alter sollicitè studeat promouere negotia. Verum qui muneratus aliquando, aut ignauia marcet, aut, quod deterius est, impedimentum apponit. *Ne quod ad læuamen inuentum esse constat* (monerat Cassiodorus 11. variar. 12.) *deestabile potius grauamen insigat.* Miserum est, si stipendiat miles retardauit victoriam, si aduocatus opportunam impeditur sententiam; si Sacerdos non obtulerit hostiam. Sacerdotibus, ut Deo adipem hostiarum offerrent, immolantes à lege assignatas partes exhibebant; verum Heli filij inhiabant partes accipere, adipem, aut non curabant, aut differebant offerre: *Etiam ante quam adolerent adipem, ueniebat puer Sacerdotis, & dicebat immolanti: Da mihi carnem, ut coquam Sacerdoti.* Ut adipem adoleret, honesto illo stipendio munerabatur Sacerdos; ipse uero non curabat sacrificium absolucere, sed stipendium accipere. Ita Hugo Cardinalis: *Isti Sacerdotes, ante quam adoleretur adeps Domino, auferebant partes suas.* Consonat nofter Sanctius: *Neque incredibile est, qua erant impudentia, & uita turpitudine, cum carnibus etiam abstulisse adipem, & illa omnia, que Deus è tota hostia sibi reseruarat.* Immolans exhibebat Sacerdoti adipem, quem Domino offerret, & illi electas victimæ partes, ut Domino adipem consecraret; uerum Sacerdos sibi adipem præ-

ripiebat, nec sacrificia curabat. Ipse ad sacrificia perficienda muneratus sacrificia retardabat, immò, ut sibi præriperet, impeditur.

## §. LV.

*Studiosus solent ministri stipendia sibi debita extorquere, quam uectigal reddendum Principi procurare.*

Probata debet esse conscientia, quem constat ad accipienda Principi tributa legari; nam si aliqua cupiditatis sordè polluat, quod à populo prompta deuotione soluitur, deficcatur, aut corrumpitur. *Auum ipsam* (aiebat Cassiodorus 12. variar. 11.) *ciam soluitur in liquorem, nisi mundissimo caliculo suscipiatur, inficitur.* Integritatem, puritatemque illa sola custodiunt, quæ nulla sordium admixtione fuscantur. O quam mutant ministrorum manus, quod Principi seruicium dilargitur affectus. Ut fontis liquor per arenosa minuitur, sic à populis oblatum auaritis artibus immutatur. Iam colligendis designati tributis moras uendunt, & crudeli misericordia sic debitorem depauperant, ut soluendo ingemat obnoxius, nec possit soluere à ministro iam dispoliarum. *Paruendo non parciis* (aiebat Cassiodorus 12. variar. 10.) *exonerando prægrauatis, & dum uenales moras queritis, tributi onera duplicatis.* Moras uendunt, & quod Principis thesauris debuissent acquirere, sibi fatagunt elucrar. Heli filij, ut offerrent Domino adipem designati prius curabant hostiarum partes sibi debitas accipere, quam Principi adipem adolere. *Etiam ante quam adolerent adipem, ueniebat puer Sacerdotis, & dicebat immolanti: Da mihi carnem, ut coquam Sacerdoti.* Pro sacrificiis designati sollicitus sibi assignata querebant, ut que Principis illius populi Deus sacrificia acciperet, non curabant. Redeat iam datus Hugo: *Ante quam adoleretur adeps Domino, auferebant partes suas.* O nimis uerum!

## TEXTVS.

VERS. XVI. Dicebatque illi immolans: Incendatur primum iuxta morem hodie adeps: & tolle tibi quantumcumque desiderat anima tua. Qui respondens, aiebat ei: Nequaquam; nunc enim dabis, alioquin tollam vi.

## §. LVI.

*Misera Respublica, ubi non solum errata committuntur, sed perfricta, & audaci fronte patrantur.*

Felix est, qui in publico potest viuere, nec curiosos oculos extimescere: felix est, qui oculos extimescens timore corripitur, & frænatur. Ad summum scias peruenisse nequitiam, cum infirmitate, & inuerecundè peccatur. *Tunc felicem te esse iudica* (inquit Seneca epist. 43.) *cum poteris in publico viuere, cum te parietes tui tegeant, non abscondunt: quos plerumque circumdatos nobis iudicamus, non ut tutius uiuamus, sed ut peccemus occultius.* Miserum est, quantum uis occultius, peccare; uerum dum conscientia ianitores apponit, dum deprehendi metuit, medicinam patitur agnido. Tunc, mihi crede, insanabile est uulnus, cum uitium omnem timorem excussit, & oculos impudenter despicit. Mala conscientia nondum à se abiecit pudorem, si anxia, & sollicita est; uerum si contemplerit testes, si spreuerit lucem, nullam, aut exiguam remedij spem sibi reliquit, quia omnem salutis uiam pericax occlusit, & obturauit. Iam Hebræorum Respublica in præceptis labebatur, cum inuerecunda procacia, & procax inuerecundia nec legem esse reuerita, nec oculos refrænata. Immolans opponebat Sacerdotum ministro legem, & morem; ille tamen extra omnem metum, & legem audebat, & sacrificia uolabat: *Dicebat illi immolans: Incendatur primum iuxta morem hodie adeps, & tolle tibi*

tibi quantumque desiderat anima tua. Qui respondens  
aitur ei: Nequaquam: nunc enim dabis, alioquin tollam vi.  
Nec liberalis offerentis modestia, nec stabilita more  
laudabili ceteronomia, nec sacra legum edicta reprimebat  
procaciam, imò libera fronte omnia proculcabatur ra-  
lentia, & in omnium oculis immunis exercebatur ra-  
pina. Notavit noster Sanctius: Non solum pudorem apud  
pina. Notavit noster Sanctius: Non solum pudorem apud  
hominem; sed etiam apud Deum omne abiecerant religionis  
officium. Vbi sine pudore peccatur, ubi insolentia leges  
impunis transgreditur, non potest non appetere miserata  
mina, & Republicam deaustare generalis miseria.

§. LVII.

Vim patitur non semel religio, & iustitia ab ipsis,  
quibus iniungitur eius tutela.

Præstate audientia curam (monebat Theodericus 3.  
variar. 15.) ut iustitia vobis crescat opinio. Quando pro  
reusio causam committitur vobis ambigua iurgiorum.  
Si quibus committitur iustitia tutela contra iustitiam  
prentauerint arma, irremediale emergit detrimentum,  
quia nullum pro aequitate restat auxilium. Inimica si-  
quidem nostra est (præmiserat) laesa iustitia... qua enim  
presumptio plerumque non audeat, si sacre iustitiam reu-  
renda contemnat. Ad quos profugit iustitia, si eius  
patronotum plerumque contra eam tenet audacia, quæ  
non præsumeret vel temeraria insolentia? O quoties ab  
ipsum patronis iustitia opprimitur, & lex audacter à  
defensoribus temeratur. Sacerdotum minister, cui sa-  
crificiorum commissæ cura, sacrificium impedit dete-  
standa violentia: Nunc dabis, alioquin tollam vi. Vim  
audis inferti, à quibus inuolabilis sacrificiorum puritas  
studio debuisset solertissimo procurari. Notavit noster  
Sanctius: Hinc apparet intolerabilis Sacerdotum insolentia,  
& super, qui non iam simulatè, sed aperte vim propè  
asserunt hostilem, & primum indubita sibi postulant, &  
que Deo debentur, aut præstari omnino verant, aut certe  
tempore non suo, id est, posteriori. Quæ Deo debebantur,  
solui Sacerdotes ipsi impediabant, aut retardabant, &  
quæ illis non debebantur, immatura audacia, & non  
ferenda insolentia arripiebant, omniâque legitima pro-  
culcabant. Itaque à nullis adeo grauis iustitia, religio-  
nique inferebatur iniuria, quam ab ipsis, quibus iniun-  
gebatur tutela.

TEXTVS.

VERS. XVII. Erat ergo peccatum puerorum  
grande nimis coram Domino, quia retra-  
hebant homines à sacrificio Domini.

§. LVIII.

Cæca cupiditas, dum studet indignis lucris, se priuat  
honestis, & maioribus incrementis.

Cupiditas sibi ipsi inuenitur aduersa: suis obnititur  
votis, dum flagrat ambitiosissimis desideriis. Nesci-  
tus (aitur Cassiod. 1. 1. var. 12.) quanta possitis acquirere  
moderati. Vbi ad commoda vestra veniunt, qui vos tempe-  
rante agere posse cognoscunt. Venditores, dum temperatis  
preciis gaudent, quam plurimos ad se emtores alli-  
ciant, & prouenit magis de pluralitate, quam proueniret  
de avara cupidine. Qui lucrorum auditates appetunt,  
temperanter se gerunt; nam si quis iniquitatem, aut rapa-  
citatem patiatur auarum, exasperatus curat fugere, non  
redire. Heli filij iura sua extendunt, & plus quam lex præ-  
scribit, ab immolatibus violenter percipiunt. Quid tunc?  
Retrahebant homines à sacrificio Dei. Si temperanter age-  
rent, plurimi ad sacrificandum aduocarent, & cœnium  
cresceret sacrificantium de numero: aut dum turpis accu-  
pato omnes deterreret enormitate auaritia, rarus ad sacri-  
ficandum accederet, & cupiditas etiam languet. Itaque dum  
Eman. de Nazera in Reg.

auaritia, indignis inhiat rapinis, suis ipsa opponitur in-  
crementis. Opportune noster Sanctius: Homines ideo à  
templo absterrebantur, & sacris, quia videbant nihil in sacris  
feri legitime; neque eo ingenio esse Sacerdotes, ut eorum com-  
modis consultum esse vellent. Legitima à plurimis acci-  
pientes plus haberent, quibus ipsa auaritia impediti ca-  
rent. Accrescerent illis honesta lucra, ni deprædatio illa  
extitisset sibi contraria.

§. LIX.

Infaustum, ominosumque est, si, qui, ad virtutem  
debit prouolare, à virtute contingat auertere.

Laudabile est vites ægritudini addere, & quod aggra-  
uare potest, offerre. Illud verò prorsus detestandum, si  
medicus, qui salutem debuisset perurgili sollicitudine sus-  
fulcire, salutem adnitatur aut retardare, aut depellere.  
Medendi petitus inuitum frequenter saluat ægrotum, &  
voluntati, quæ grauibus in passionibus deuiat, non blandi-  
ditur noxius, sed resistit, & refragatur beneficis. Nulla  
remanet spes salutis, si medicus ægritudinem foueat, &  
morbis vires adiciat. Iure Tiberius Sacerdotes innocen-  
tia, virtutisque patronos duris suspendit stipitiibus, cum  
inuenit detestandis opem tulisse sceleribus. Ad rem Ter-  
tullianus in Apologico cap. 9. Infantes penes Africanum Sa-  
turno immolabantur palam usque ad Proconsulatum Tiberijs  
qui eosdem Sacerdotes in eisdem arboribus templi sui obum-  
braticibus scelerum, votiuus crucibus exposuit. Fortan  
si alij deliquissent, misericordiam impetrassent; at Sa-  
cerdotes innocentia hostes votiuus crucibus fas fuit  
distorquere, & laudabili enormitate punire. Pyrrhus me-  
dicum etiam cruci affixit, quia propinare studebat non  
antidotum, sed venenum. Confalsi Fabricio scripsit Pyrrhus  
medicus (ita Plutarchus in Apophthegm.) epistolam osten-  
dens se, si iubeat, sublaturum veneno Pyrrhum... compo-  
tis insidijs, Pyrrhus medicum suspendit. Facilius insidiaba-  
tur vitæ, qui medicus studere putabatur incolumitati, &  
saluti. Dignissimus est, qui pereat, qui munus inuicite  
munere abusus, & instituto contrarius. Grande nimis  
Heli filiorum referitur peccatum, nam cum eos munus  
allicere homines suaderet ad virtutem, ferè cogebant ad  
prauitatem. Erat peccatum puerorum grande nimis coram  
Domino; quia retrahebant homines à sacrificio Domini.  
A quibus debebant ad sacrificium allici, contingeat de-  
terteri. Notavit noster Sanctius: Meminit (Textus) scan-  
dali, quo aut pietatem retardabant hominum, aut studia sa-  
crificantium morabantur. Quod cum in alijs non leue sit  
peccatum, in Sacerdotibus non poterat esse non grauissimum;  
quorum id est munus, ut pietatis, ac religionis studia promo-  
ueant. Iustissime à dignitate exciderunt ferro occisi, &  
hostili furori traditi: muneris querela, religionis iniuria  
infelicissimam mortem prænuuntabant, & totius ruinam  
posteritatis portendebant.

TEXTVS.

VERS. XVIII. Samuël autem ministrabat  
ante faciem Domini, puer accinctus ephod  
lineo.

§. LX.

Mirum est coequalium prauis exemplis non cor-  
rumpi, sed virtutibus efflorere.

Quisque sibi molestus est, magnum secum nego-  
tium habet, facilius probat, quam sequatur hone-  
sta, verum facilius ab honestate recedet, si praua aliorum  
inuitauerint facta, aut consilia. Christi diuinitatem pro-  
bat Ioannes, quia in tenebrarum voluminibus fulxit,  
quin eius splendor de vicinitate langueret. In ipso vita  
erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucebat, & te-  
nebra eam non comprehenderunt. Ioan. 1. vers. 4. Si alius  
esset,

MANERA  
LIB. I.  
REG. 10.  
CAP. II.  
75

esset, eius splendor aut deturparetur tenebris, aut fulgor interpolaretur umbris. *Lux in tenebris luces* (inquit Origenes in Catena D. Thom.) quia Dei Verbum vita, & lux hominum in nostra natura, qua per se inuestigata, & considerata informis quadam tenebrositas inuenitur, lucere non desinit. Deus erat Christus, quandoquidem inter tenebras nil splendoris, aut amicitia, aut contraxit. *Inimica est multorum conuersatio* (aiebat Seneca epist. 7.) *Nemo non aliquid nobis vitium aut comendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit.* Hinc miranda est Samuëlis virtus; nam cum pueri Sacerdotum legis præscripta audacter violarent, & insanis appetitionibus infervirent, ipse accinctus, ac sedulus ita ministrabat, ut diuinis posset apparere conspectibus: *Samuel ministrabat ante faciem Domini, purus acinctus ephod lineo.* Infantiles annos virtutibus supergressus inseruicbat, ut facerem requirebat locus, non ut exiguum ferebat tempus. Repetere posset de Samuele Atalaricus, quod de Tolonico 8. var. 10. *Mox ut inter parentes infantiam reliquit, statim rudes annos ad sacri cubiculi secreta porxit, agens non ut ætas, sed ut locus potius expetebat.* Ut locus expetebat, ministrabat, quin sociorum pravis corrumperetur exemplis, aut modicis tepesceret annis. Nec coequalium exempla à virtute auerterunt, aut retardarunt, imò ubi alius criminibus sordescere cupiditati addictus, Samuël sollicitudinis munus implebat virtutibus exornatus. Notauit Lina: *Iuxta istorum malitiam describitur innocentia Samuëlis.* Consonat Caictanus: *Reperitur hoc ad rarrandum, Samuëlem exemptum fuisse ab huiusmodi peccato.* Samuëlis decertabat probitas cum coequalium malitia, ibique resplenduit illibata innocentia, ubi frequentissima scandala.

## §. LXI.

*Fas est præ aliis, honoribus insigniri, quem liquet eximius virtutibus anteponi.*

**I**llustri honore debet insigniri, & insigni honorabili denotari, qui virtute cumulatus resplenduit, & honesta ambitione se aliis factorum meritis anteposuit. *In laudem regnantis proficit, quod subiectus acquisit* (scribit Cassiodorus 2. var. 2.) *At tu parem te huic indulgentia præstitisti. Illustri enim honore ditatus tanta te maturitate tractabas, ut annos leuis patereris esse sub pondere: qua non potuit in prima ætate vincere fortissima vis natura.* De alio scripsit, sed nequiverunt florida verba melius alteri, quam Samuëli nostro adaptari. Puerulus virtute edomuit aetatem, & cum tempus non permitteret tractare feriam, virtus, & prudentia: maturitas ad grauiam commendabat negotia: *Samuël autem ministrabat ante faciem Domini.* Ergo Heli ephod lineo nobilitauit, & insigniuit: *Accinctus ephod lineo.* Hoc Samuëlem fuisse honore præ aliis donatum, tradit Theodoretus q. 8. & apud nostrum Sanctium: *Theodoretus q. 8. putat id Samuëli concessum ab Heli, quia in illo aliquid videbat eximium efflorescere.* Itaque de Theodoretis sententia aliquid speciale concessit Heli Samuëli, quo eius socij non gaudebant: fas namque erat, ut virtute eximium singulari priuilegio nobilitaret, & specialibus præ aliis honoribus insigniret. Scio Leuitas ephod lineo vsos, dum ministerijs incumbere, nec ignoro Samuëlem fuisse Leuitam; crediderim tamen in hoc Samuëlis ornatu aliquid intercessisse, aut in tempore, aut in modo singulare. Et quidem, ut aiebat Cassiodorus in laudem Heli profecit, quod Samuël dignus acquisiuit. Alij tunc pueri ministrabant, sed nec ea sedulitate, & animi promptitudine. Ergo Heli Samuëlem prætulit, & honoribus adauxit. Quam politice Plinius Iunior 9. epist. 5. *Sed temperare mihi non possum, quominus laudem similis mementi, quod cum modum tenes, ut discrimina ordinum dignitate, hinc que custodias: que si confusa, turbata, permixta sint, nihil est æqualitate ipsa inæqualitas.* O politicum, & verum!

## TEXTVS.

VERS. XIX. Et tunicam parvam faciebat ei mater sua, quam afferebat statutis diebus ascendens cum viro suo, ut immolaret hostiam solemnem.

## §. LXII.

*Mirum est, si ornatus temporis, & statui adapsetur, nec vanitati blandiatur.*

**F**erè semper circa exteriorem cultum, & ornatum peccatur. Delinquit vanitas, & offendit oculos vestium pretiositas, sterili tempore vestes nitidius florent, & floridius nitent: Plebeius nobilium affectat vestes: nobilis patrimonium exhaurit. Iam quantum hoc in genere delinquant feminae, & Republica noscitur, & modestia luget. *Habitus feminae duplicem speciem circumferi* (inquit Tertullianus de habitu mulieris cap. 4.) *& cultum, & ornatum.* *Cultum* dicimus, quem mundum mulierem vocant: *ornatum*, quem immundam mulierem conuenit dici. *Ille in auro, & argento, & gemmis, & vestibus deputatur: iste in cura capilli, & cruris, & earum partium corporis, que oculos trahunt.* Alteri autem huiusmodi crimen intendimus: *altari prostitutionis, ut iam hinc prostituta.* In veste frequenter relucet mores, luxuria artificiosa componit, superbia pretiosa querit. Samuëlis mater, ut erat prudens, tunicam filio afferebat, quod ephod fuisse intelligo, parvam, & lineam; parvam, ut congrueret temporis, lineam, ut conueniret statui. Ephod induebatur non coloribus distincto, aut pretiositate splendido. Notauit Interlinearis: *Non eo, quod induebatur Pontifex; illud enim quatuor coloribus distinguebatur, hiacyntho, cocco, bysso, & curo.* Itaque mater non exhibebat filio vestem Pontificiam, & splendidam, sed leuiticam, & lineam. Ornatus respondebat statui, non luxui, cum frequenter ornatus conditionem excedat, & suspicionibus occasionem exhibeat.

## §. LXIII.

*Parentes cordati filios decenter vestiunt, nec superbiam pompa ornamentorum exuriunt.*

**P**arentes, ut amori adulentur, filios student sumptuosius adornare, & floridius, quam ratio postulat, expolire, dumque ardentis ætatis insunt superbiam, libidinibus adijciunt flammam. Lyfander filias pretiosis stolis, & aureis monilibus noluit fulgere, ut qui nouerat pompam infidias pudori perire, & audaces oculos trahere. *Lyfandri filibus* (inquit Plutarchus de instituendis liberis) *tyrannus Siculus stolas, & monilia mist magna indignationis. Ea non admisit Lyfa, de qua ait: Mundus hic deturpauerit, quam exornauerit parius, meas filias.* Modestia legem si cultus transgreditur, ipso splendore prudentiam innubilat, & linguaces armat. *Ornamentum est* (aiebat Crates apud Plutarchum ubi supra) *quod ornat, ornat autem quod mulierem ornatiorem reddit.* Id efficit non aurum, non smaragdus, non coccus, sed que granitatis, modestie, & recundie imaginem exhibent. Ornatus est mentis index, cordis pulsus, & ibi sæpè deprehenditur, quod in animo celabatur. Verum etiam nitidior, cultiorque ornatus nescio quid vaporet, maxime tunc offendit, cum nec statui, nec temporis congruit. Anna paruo filio parvâ vestem, & Leuiticam lineam afferebat: *Tunicam parvam faciebat ei mater sua.* Diuitiis exundans, & prudenti amore flagrans sic ornat filium, ut nec intuentes offenderet, nec audaciam iuuenis inflammaret. Notauit Abalenis quest. 10. *Faciebat parvulam tunicam sicut puero deceret: Ista autem est, que vocatur stola Leuitarum, quoniam ornamenta eorum simplicia erant, & ista videtur esse, que vocatur ephod lineum.* Vestem proiuda mater afferebat,

afferebat, sed quæ Leuitam deceret, & modeltiam matris commendaret.

§. LXIV.

*Ut filios possint virtutibus adaptare, curent parentes, quæ necessaria, exhibere.*

**N**on semel auara parentum tenacitas, & desidiola incuriositas delinquendi occasionem præbuit, dum ornamentum competens denegauit: honoris contumelia, & parentum iniuria queritur, quod auaris manibus non præstatur. Struthio sapientia expers duratur ad filios, siliculis vestitur pennis, exambit inuolare, nec veretur oua conculcanda relinquere: *Penna struthionis similis est pennis herodij, & accipitris. Quando derelinquit oua sua in terra, tu forsitan in pulvere ea efacies ea? Oblitus situr, quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat. Job. 39. vers. 13.* Derelicta oua conculcationi inueniuntur exposita, & brutalitatis sunt præda, quia illis parentis non consulit stulticia! *In primis (exprobrabat gentibus Tertullianus in Apologet. cap. 9.) filios expositis suscipiendos ab aliqua præterente misericordia extra ea. Addebat: Alio nati generis necesse est quandoque memoriam dissipari, & simul error impigerit, exinde tradux proficiet incesti serpente genere cum scelere. Serpit cum genere culpa, dum alienæ misericordiam expositi, generis parentum obliuiscitur contumeliosa sibi auaritia, aut exoculata imprudentia. Anna sæculis commendanda prouidit filio afferebat ornatum, ne aut erubesceret nudus, aut oculos offenderet inornatus: *Tunicam paruum faciebat ei mater sua, quam afferebat statutis diebus. Ita amor filio sollicitabat ornatum, ut omnem pompatici speciem luxus vitaret, ea opportunitate præbebat, ut indignæ obliuionis notam non incureret. Notauit Abulensis q. 10. Dabat mater Samuëli ei vestem, scilicet leuiticam, & dicitur statutis diebus, quia solum faciebat hoc mater Samuëlis diebus quinquidam determinatis. Opportuno tempore exhibebat necessaria; non ministrabat superflua, parentes edocens, filiorum sic gerere curam, ut nullam ad degenerandum exhibeant ansam.**

TEXTVS.

VERS. XX. Et benedixit Heli Elcana, & vxor eius: dixitque ei: Reddat tibi Dominus semen de muliere hac pro fenore, quod commodasti Domino, & abierunt in locum suum.

§. LXV.

*Filium Deo hilariter offerre, non est posteritatem præcidere, sed firmare.*

**H**omini proficit, quod Deo seruit, & filius Deo hilari deuotione sacratus videtur aliquando orbitatem parentibus adducere, sed contemptum est ipsa oblatione parentes ad suscipiendos filios plurimos fecundari. Lucrosus fœnus est quicquid Numini exhibitum, quia reddit miris accessionibus auctum. Filium impigrè offert Abrahamus, & dum consecrat deuotius, sibi multiplicat posteritatem securius: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas, Gen. 22. vers. 17.* Quod expendens Tertullianus de Patient. cap. 6. sic ait: *Cum filium immolare iussus esset, ad fidei non reiterationem dixerim, sed typicam contestationem.* Non solum Abrahamus, quam fidem præstiterat, actionibus comprobabat, sed oraculum, quas de posteritate spes illi fecerat, suffulciebat. Ergo Heli pro Samuele templo oblato fœnus reddendum prædicat, ut qui nouerat, posteritatis esse fulcimentum consecrare Numini filium: *Reddat tibi Dominus semen de muliere hac pro fenore, quod commodasti Domino.* Dum filium offert, matrem intuetur non prole orbatam, sed nobis Eman. de Nazera in Reg.

lissima posteritate fecundam. Accipe Hugonem: *Ex hoc patet, quod propter hoc obtulerunt Anna, & Elcana Samuëlem Domino, ut multiplicaret eis prolem.* Fenoris lege obtulerunt, ut honesta ad eos rediret vsura, filiorum scilicet copia. *Dicitur fœnus (addit Abulensis q. 10.) id est, vsura: dedit enim Anna filium suum Deo in fœnus, scilicet in vsuram: Ut vsurarius, quam monetam exhibet, multis incrementis adauget, sic Anna honestè vsuraria plures filios accepit, quia Samuëlem primogenitum Domino commodauit. Expendebat satis acutè Chrysof. Heli initio dixisse: *Deus Israël det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum, supra 1. vers. 17.* & modò: *Reddat tibi pronuntialicè quasi oblato filio iam Deum debitorem haberet, nec filiorum copia liberale esset donum, sed honestum vsuræ debitum. Audi Chrysof. Initio non dixerat: Reddat tibi, sed: Det tibi Dominus. Verum postea quàm illa Deum fecerat debitorem, ait: Reddat tibi, bonam de futuris spem præbens.* Euentus benedictionem comprobauit, nam quæ vnum deuotè obtulit, plures accepit.*

TEXTVS.

VERS. XXI. Visitauit Dominus Annam, & concepit, & peperit tres filios, & duas filias, & magnificatus est puer Samuël apud Dominum.

§. LXVI.

*Cum Deo lucrosa semper commercia, cum hominibus asferre solent ingentissima damna.*

**Q**uidquid Deo offertur, offerentis vilitati applicatur. Quod homini præstatur obsequium, atulit aliquando periculum. Deus redditurus accipit; homo etiam eximie beneficiatus inuenitur aduersus. *Nemo agit (aiebat Seneca lib. 2. de Benefic. cap. 27.) de tributariis gratias; sed queritur, quod non est ad præteritam vsque peruenit: nec hæc grata est, si deest Consulatus, ne hic quidem satiat, si vnus est.* Itaque qui à te accepit tributum, non refert gratias, sed quia consulatum non dederis, dat querelas: fauore tibi comparasti querulum, si ipsa non armasti felicitate inimicum. Reculam Deo obtulisti, & benigno vultu accipit, & copiosa manu reddit. *Manus illius (aiebat Sponfa) tornatiles aurea plena hiacynthibus, Cap. 5. vers. 14.* Si quid ad eius manus plenas hiacynthibus perueniat, opus est, ut hiacynthus locum concedat, & ad offerentis lucrum è plenis manibus, si fas est dicere, cadat. Suspendunt homines sortem adaugere, & magnis prouentibus ampliare: nesciunt tamen honestam vsuram, granum committunt solo sterili, & spinas crentas solum reddenti: quod si Deo committerent, copiosam spicarum segetem meterent. Anna honestum in fœnus Samuëlem obtulit, & plures filios accepit: *Visitauit Dominus Annam, & concepit, & peperit tres filios, & duas filias.* Quod expendens Chrysofotomus, sic ait: *Tantum hac negotiatione lucrum fecit Anna, quantum facere par est ea, quæ cum Domino habuit commercium.* Subnectit: *Reddidit enim ei alterum filium, immò non vnum, neque duos, neque tres, neque quatuor tantum, sed his multo plures, ut iam vsura sortem excederet.* Quod homini ad vsuram offertur, non semel amittitur: fors Domino dilargita ad largitorem reddit prouentibus multis aucta. *Talis est negotiatio, quæ cum Deo geritur (addit Chrysofotomus) sortem multis partibus conduplicatam reddit.* Quid hac vsura honestius quid hac negotiatione est vtilius?

E 2 §. LXVII.

MAXERA  
LIB. I.  
REG. 10.  
C. LV  
75

## §. LXVII.

*Quæ apud Dominum magnitudo, semper est solida; quæ apud homines, volatica, & fluxa.*

**R**etum iter (aiebat Seneca epist. 8.) quod serò cognoni, & lassus errando aliis monstrò. Clamo: Virtute quamque vulgo placent, quæ casus attribuit. Omne humanum fortuitum est, & sæpè quæ fortunæ gratis oculis adspiciuntur munera, infidiosa sunt detrimenta. Quisquis fastigia, & quidquid falso splendore imponit oculis, obtinuit, si non præcipitiis, decursibus propinquauit. Solum magnus, & felix est, cui nihil terrenum est magnum. Contemne omnia (addit Seneca) quæ supervacuis labor velut ornamentum, ac decus ponit. Animus veram sibi à virtute magnitudinem procudit, in qua nil licet fortuna. *Intelligo felicitatem* (aiebat Philo lib. Quod deterius) *virtutis perfectæ in vita perfectæ usum.* Sola virtus solidam magnitudinem, & verum secum affert nitorem. Samuël verè fuit magnus; quia apud Dominum resplenduit, quantumvis videretur apud sæculum puerulus: *Magnificatus est puer Samuël apud Dominum.* Audis & puerum, & magnificatum; vt noueris sæpè sepius apud Deum magnificatum haberi parui apud sæculum, & apud sæculum despectum, & parvulum, apud Dominum haberi honoratum, & excelsum. *Iuxta Hebraum habetur* (scribit Caietanus) *& grandit puer Samuël cum Iehouah. Augmentum non solum corporis, sed animi versus Deum fuisse significatur.* In numero puerorum censebatur Samuël apud sæculum; apud Deum verò in magnatum censu. Hæc ergo erat vera magnitudo, quam nec fortuna quibat deijcere, nec amulatio obscurare.

## TEXTVS.

VERS. XXII. & XXIII. Heli autem erat senex valde, & audiuit omnia, quæ faciebant filij sui vniuerso Israël; & quomodo dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi, & dixit eis: Quare facitis res huiuscemodi, quas ego audio, res pessimas ab omni populo.

## §. LXVIII.

*Miserum est naufragium ipso in portu subire, & morbum remedio augere.*

**I**nfortunia circumstantiis sæpè recrudescunt, & de tempore, locòve asperitatem quandam adijciunt. Frequens est in medio pelago naufragari, insolitum ipso in portu tempestatum voluminibus, & confusis vorticibus circumvolui. Stultè pœnitentium infelicitatem expendens Tertullianus lib. de Pœnit. c. 1. sic aiebat: *Facilius per eandem delinquunt, quam per eandem rectè faciunt.* Pœnitentia curandis morbis efficacissima medicina insipientium adaugebat morbum, & incrementabat delictum. Qui pœnitentiã deberent reatum expungere, per pœnitentiã novum adaugebant reatum. Prodigis ille in paternis laribus inuenit, quo famem depelleret, & nuditatem vestiret, & ibi senior & delinquit, & offendit. *Indignatus est, & volebat intrare. Luc. 15. v. 28.* Ipso in misericordia, ac pietatis portu inuenit periculum; imò miserum subiit naufragium. Notauit ad huc locum Ambrosius: *Stat foris, nec excluditur, sed non ingreditur.* Adnecit: *Seruus iam factus ex filio.* Vbi iunior, plus quam concupiuit; inuenit, ibi senior, quod habuerat, amisit: bis miser, & quia patris sustulit indignationem, & quia ibi promeruit indignationem, vbi exercebat pater pietatem. Mulieres post partus sordes templum adibant purificandæ; verum ipso in tabernaculi ostio pro

remedio inuenerunt scandalum, & Sacerdotes eluendis maculis designati prouocauere ad libidinem cæci: *Dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi.* Audi Hugonem Cardinalem: *Eas quæ veniebant ad purificandum, polluebant.* In templo mulieres puritatis subiere naufragium, & ibi contra puritatem puritatis gliscibat remedium.

## §. LXIX.

*Mulieres vel cordatæ plausu alliciuntur, & muneribus obcaccantur.*

**H**umana cæcitas, & cupiditas plausibus, & muneribus inhiat; vtque fera, & piscis spe aliqua oblectante decipitur; sic gloriæ auditas plausu capitur. *Munera ista fortuna putatis* (aiebat Seneca epist. 8.) *insidia sunt.* Quisquis nostrum tutam agere vitam vult, quantum plurimum potest, ista viscata beneficia deuict: *in quibus hoc quoque miserimi fallimur, habere nos putamus, habemur.* Itaque dum existimamus nos dona habere, ipsis donis vincimur, & habemur. Quod licet in omnibus experientia sit comprobatum, in feminis præcipuè experimur indubium. *Gloria* (aiebat de cultu feminarum. Tertullianus cap. 3.) *exaltationis ingenium est.* Porro exaltatio non congruit professionibus humilitatis ex præceptis Dei. *Dein si omnis gloria vana, & stuporata, quanto magis quæ in carne.* Laus, & donum mulieribus beneficium & fascino. Hinc astutus serpens quid Eua promisit, quæ spectaret ad gulam, & gloriã: *Eritis sicut dij. Genes. 3. vers. 5.* Acerrimum arietem admouit, & innocentie muros, hac machina subruit. *Hanc primam machinam contra veritatem machinatus est,* aiebat Seleucienis Bassilius oratione 3. Scilicet mendaciis aurem demulcere, & muneribus voluntatem allicere. En mulieres purificationis studio templum aduentantes infans appetitionibus obsequuntur, & scædissimis libidinibus maculantur: *Dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi.* Si queras quomodo femina non restiterit, respondebit Iosephus munerum illicio captas, & cupiditate deuictas: *Dormiebant cum mulieribus.* Accipe Iosephum: *Persuadentes donis.* Viscosis muneribus hærebant, & vt munera haberent, habebantur: laus enim, & munus fortissimum contra mulierum constantiam, & pudicitiam machinamentum nihil non proferunt, & subruit. Quæ puritati, & virtuti studebant, muneribus corruptæ ceciderunt, & laudum fascino delirantur.

## §. LXX.

*Non semel religionis velamine disponuntur flagitia, & virtutis specie contra virtutem tenduntur retia.*

**S**æpè quæ suspirat concupiscentia, non permittit locus, aut tempus, vtque est luxuria sagax, à virtute mutuatur velamen, quo se tegat, & inuite virtus, cui reuera refragatur, inseruit. Expendebat satis acutè Tertullianus lib. de Spect. a. ulis cap. 5. *In Etruria inter ceteros ritus superstitionum suarum spectacula quoque religionis nomine instruant.* Auertebatur spectaculorum spucitias modestia, auertebat oculos pudicitia: verum spectacula virtutis venena, religionis specie ornata opportuniorum occasionem præbebant, & cupiditatibus ministrabant. Adnecit Tertullianus: *Lupercos Indos appellabant, quod ludendo discurrant: tamen cum Iulium inueniunt & diebus festis, & templis, & religionibus reputat.* Quæ extra templum auertebatur verecundia, quæ non ferret extra templum modestia, in templo religionis specie exercebantur, & solemnitas inseruiebat turpitudini, quæ

quae debuissent suffragari pudori. Mulieres nonnullas matricorum oculos veritate, & libidinibus inflammatae templum adibant, ut ibi obseruarent; erat tamen nonnullis templum occasio liberior, & expeditior, ibi facilius adulteria componebant, & virtutis fucos flagitia dissimulabant: Dormiebant cum mulieribus, quae obseruabant ad ostium tabernaculi. Res erat libidinis, praetextus obseruationis. Huc voco, quod aiebat Tertullianus in Apologetico cap. 15. *Adiciam, quae non minus conscientiae omnium recognoscunt: in templis adulteria componi, inter alia lenocinia tractari, in ipsis plerumque adituorum, & sacerdotum tabernaculis sub isdem vitis, & apicibus, & purpuris thure flagrate libidinem expungi.* Non inueniebant opportunitatem lenociniis, non locum adulterii. Ergo nonnullae specie obseruandi adibant templum, ut ibi facilius tractarentur lenocinia, componerentur adulteria, & perficerentur enormia. O quam de nonnullis templum quaeritur, & quam violata religio diuinis in subfelliis vociferatur! Hoc olim contingebant Hebraeis, & Ethnicis, vtinam modo non contingat Christianis.

## §. LXXI.

*Qui potestate ad cupiditatem explendam abutitur, contra se imprudens castrametatur.*

Dignitas in virtutum auxilium efformata insanis appetitionibus aliquando agnoscitur famulari captiua. Illud est potius graue (inquit Cassiodorus 7. var. 22.) si miles viuat otiose, cui quaestus est actio sua: honor principalis inuictio. Quod si graue est militem inerti otio fordere, quam graue erit, si defensionis armis defendendos nictur dissipare? Iure Aesculapius fulmine perit medicinam nocenter exercens, & ad cupiditatem abutens. Prodest Tertullianus in Apologetico cap. 14. *Est & ille de lyricis (Pindarum dico) qui Aesculapium canit auaritia merito, quae medicinam nocenter exercebat fulmine vindicatum.* Quam erat nocentissima pestis medicina saluti: fugere a medico erat securum ut eius committi arbitrio periculosum. Ipse fulmen inflammauit, cum medicus nocuit, cum potestate abusus, cum cupidini famulatus. Filij Heli iudiciaria, & sacerdotali potestate nobilitati libidinibus inferuebant additi: Dormiebant cum mulieribus, quae obseruabant ad ostium tabernaculi. Ergo iustissima multa eorum brachium contractum, & ad alium est translatum dominium: *Precidam brachium tuum, & brachium domus patris tui.* Potestatis abusus in ipsam potestatem militauit, proflusque euerit. Ardor libidinosus vitam praecidit. Mulieribus religionis causa conuenientibus (inquit Iosephus) contumelias inferiebant, aliis violentias facientes, aliis persuadentes donis. In se ipsos dignitatem armant, dum dignitatem peruersis moribus corrumpunt.

## §. LXXII.

*Qui proceres filios seuerè non corrigit, suam, & illorum famam innubilat, & fortunam discrimini obiecat.*

Cæcus parentum amor, dum indulgentius filios educat, dum blandius eorum pullulare incipientia vitia dissimulat, imprudenter sibi, & illis infelicitatem aduocat. Teneri animi faciliè virtutibus informantur, & castigazione ab erroribus adducuntur. Facile est (aiebat Seneca lib. 2. de ira, cap. 18.) teneros adhuc animos componere: difficulter reciduntur vitia, quae nobiscum creuerunt. Praemiserat Philosophus: *Educatio maximam diligentiam, plurimumque profuturam desiderat.* Diligentia in concinnandis virtute filiorum animis laudabiles, ac copiosos demerit fructus: Socordia, indulgentiaque dum emergere incipientibus vitis plaudit,

tribulos irrigat, quibus postea percussus gemat. Consules vidit Venantius filios, quia solerti diligentia ab vnguiculis expoliuit, & optimis artibus informauit. Audi Cassiodorus 9. variar. 23. *Infantiam bonis artibus enuritam, inuentum quoque armis exercuit, formans animum litteris, membra gymnasis: tradens, amicis exhibere constantiam, Dominis fidem: & quicquid in illo viro gratia diuina concessit, integra perfectione transfusissimè cernas in posteros.* Posteri pellucida patris specula paternos mores reddebant, & qualis esset pater, agnoscebatur in filiis. *Lactent se alij possessione locupletis (adnectit Cassiodorus) summumque putent posteris bonas solas esse diuitias. In hac autem domo non tantum patrimonii, sed & virtutibus aditur hereditas.* Securè aditur hereditas, si quam laudabilis origo transfusit, virtus firmavit, ut non semel parentum benignitas hereditate filios denudat, dum vitia, quibus hereditas amittitur, non refranat. Filij, Heli damnabili parentis indulgentia habiti, corruptis moribus inuēuntur obscuro: *Erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino.* Quid tunc? ea benignitate correxit, ut potius videretur licentiam facere, quam corripere: *Quare facitis res huiusmodi?* Blanda correctio, benigna increpatio, dum non cohibet, infelicissima stragis sibi, & filiis occasionem proculdit. *Ecce dies veniunt, & praecidam brachium tuum, & brachium domus patris tui.* Eggebat lues duro cauerio, ferro clementer praecedenti, & vsus est Heli medicamentis blandissimis. Ergo dum tenero adulatur amori, miseranda Heli suffragatur calamitati. Ita Chrylost. *Cum intrepensit ille parceret, & suam, & illorum salutem perdidit.* Nil filiis deterius, quam indulgentia, nil patri infelicius, quam tolerantia.

## §. LXXIII.

*Nescire se debet patrem, qui iudicis personam gerit, & iura dicit.*

Æquus iudex non aliter de sua, quam de aliena causa decernit, accusat munus, quem erga suos corrumpit affectus: *Nec enim æquus iudex* (aiebat Seneca lib. 1. de ira, cap. 14.) *aliam de sua, aliam de aliena causa sententiam fert.* Si pro varietate peccantium causa dicitur; si delictorum qualitas non attenditur, iura marcent, & leges morient. *Malus Iupiter* (aiebat Tertullianus in Apologetico cap. 14.) *Si fulmen illius est, impius in nepotem, inuidus in artificem.* Aesculapius, Iouis nepos aded nocenter medicinam exercebat, ut auaritiæ adulatus morbos exasperaret, & infirmitates produceret. Ergo Iupiter, ut in alios æquitatis desertores, in nepotem ciaculatus est fulmen, ne dum nepotis tolerat prauitatem, dignitatis obnubilet splendorem. Sit fabula pro doctrina, discantque iudices iura cognitioni antepone, legesque suspicere. *Egisti te per cuncta iudicem* (aiebat Theodoricus 1. variar. 3.) *totius erroris expertem, nec inuidia quonquam deprimens, nec gratia blandiente sublimans.* Quod cum ubique sit arduum, tamen fit in patria gloriosum: ubi necesse est, aut gratiam parentela prouocet, aut odium longe contentiones exasperent. Gratiam parentela prouocat, dum adfectio affinium, & cognatorum culpas inaurat. Heli, cum populus de filiorum scelere expostulasset, se oblitus est iudicem, ut exhiberet parentem: *Quare facitis res huiusmodi, quas ego audio ree pessimas ab omni populo? nolite filij mei.* O si filios non agnouisset, uti reos castigasset! Iudex pro dirimendis causis constitutus aliam de filiis, ac de reliquis tulit sententiam: ergo sibi, & filiis vite, ac dignitatis imprudenter intulit multam: *Ecce dies veniunt* (praedicat oraculum) *& praecidam brachium tuum, & brachium domus patris tui.* Affectu persuasus blandè correxit: ergo sibi, filiisque nocuit. Accipie Iosephum: *Heli pro eorum iniquitate damnatus est, quia minus seuera animaduersione plecebat.* *Esti quidem coercui.*

coercuit, & corripuit, cum lenitate tamen, & mansuetudine patris, non severitate, & auctoritate Pontificis. Affectione subornatus, nec patrem implevit, nec iudicem, seuicndo indulgeret, & indulgendo saeuivit.

## §. LXXIV.

*Sape parentes propriis actibus inculpati, filiorum amore rei.*

**A**liquando parentes, qui se ipsos laudabilibus factis nobilitarunt, nimis tenera erga filios affectione delinquant. Pro illis auari, qui reuera generosi. Ipsa humanitas obscurat, & dum non corrigi, peccat. *Inobedientem filium* (aiebat Cassiodorus 1. *variar.* 14.) *declinare poenas non permittit humanitas.* Humanitas consulit corrigere, & caecus amor adnititur indulgere. *Nutritur a parvulis* (adnotat Cassiodorus) *ipsis laboratur, ipsi diuitia conquiruntur, & cum sibi unusquisque credat abundare quod possidet, cum a patribus adhuc quaeritur, pro altera potius etate peccatur.* Parentes pro se maria non sulcarent, & seuas tempestates effugerent, vorticibus tamen se committunt, vt peregrinis mercibus conquirant, quo patrimonium posterorum adaugeant. Corrigendus, qui peccat filius admonitione, vi, molliter, & asperè, meliorque sibi faciendus, aliquando palpari, & quod in se pater non detrectat emendare, non audet in delinquenti filio corrigere. Falsatus est parentum amor, dum consulit, laedit, *Liberas* (aiebat Seneca lib. 1. *de ira, cap. 15.*) *si debiles, monstruosque editi sunt mergimus. Non ira, sed ratio est a sanis inuilia fecerere.* Timent parentes putridum aliquod filiorum membrum praecidere, & dum crudeli misericordia luem permittunt serpere, totum constar filium amittere. Oportebat Heli filios, Reipublica pestem, nocentissimam morum luem severitate rigida refranare, distulit crudeli indulgentia corripere: *Quare facitis res huiusmodi? Quam blandè increpuit, quam leniter arguit! Qui irreprehensibilis sibi vixerat, pro filiis peccat.* Notauit Chrysothomus: *Cum vita Heli esset irreprehensibilis, tamen quia filios calcantes Dei legem non eum severitate corripuit, cum illis etiam iure punitus est, & graue subiit supplicium.* Irreprehensibilis multam grauem non incurreret, & tamen eius brachium praecisum est: *Praecidam brachium tuum, & fractis ceruicibus expirauit, quia crudeli erga filios misericordia deliquit.* O quot parentes, qui propriis actibus metuissent elogium, hoc tulere errore supplicium!

## §. LXXV.

*Aliquando parentes, ne filios dignitatis luminibus viderint dispoliatos, doluerunt multatos, & duro supplicio amissos.*

**Q**ui medicinae artem non calluerat, dignitatis infulas respuit, & prudentiam commendauit: *Non sum medicus, Isai. 3. vers. 7.* Medicus pro aegritudinis qualitate decernit remedia, piè desauit, prudenter indulget. Sanitatis artifex, aut praecidit, aut componit. *Est plane* (aiebat Tertullianus aduersus Gnosticos cap. 5.) *quasi sanitia medicina de scalpello, deque canterio, de Synapis incendio, non tamen secari, inui, & extendi, morderique idcirco malum, quia dolores vitales adfert. Nec quia tantummodo contristat, recusabitur, sed quia necessario contristat, adhibebitur.* Oporteret aliquos parentes esse medicos, vt essent sanitatis artifices: dum verentur filios a latere suo seingere dum reculant dignitate exaugurare, praeter opinionem calamitatem exaggerant, & infelicitatem filiis conciliant. Non ignorabat Heli, filios quos ad lumina extulerat dignitatum, potestate abuci, & ipsi muneri contumeliosos existere; cumque debuissent praemonitos, dum contumaces, a templo

expellere, & dignitate interdicere, blandè nimis corripuit, & patientia illaudabili tolerauit: *Quare facitis res huiusmodi, quas ego audio res pessimas ab omni populo? Nolite filij mei.* Dum indulgenter tolerat, ne si depulerit, ipse eorum careat praesentia, & filij potestate iudicialia, brachium conteritur, & verque filius hostili gladio transtuberatur: *Praecidam brachium tuum, & brachium domus patris tui.* Si duo exularent, quam plurimi non perirent; ast dum dignitatem illis adnititur conseruare, eorum nocuit saluti, & totius familiae splendori. Opportunè Theodoretus: *Horum iniquitas non egebat lenibus medicamentis, sed acerrimis. Oportebat ergo, cum post primam, & secundam admonitionem perseverassent in nequitia, eos a templi ambitu expellere.* Negotatio esset dignitate duos mulctare, vt posset tota familia dignitatum fulgoribus resplendere: veium dum eos tolerat, dum seingere a latere detrectat infelicitissimam mortem imprudenter sollicitat, & posteros omnes a dignitate relegat. Opportunè Seneca lib. 1. *de ira, cap. 15.* *At corrigi nequeant, nihilque in illis spei bonae capax est. Tollantur e cetero mortalium facturi peiora, quae contingunt: & quo vno modo possunt desinant mali esse. sed hoc sine odio. Quid enim est, cur odium eius, cui tuum maxime profum, cum illum sibi eripio. Tunc maximè Heli filius prodesset, si illos sibi ipsis eripuisse, & vtili exilio mulctasset; doluit enim illos ferro hostili occisos, quia noluit viderè dignitatibus denudatos.*

## §. LXXVI.

*Vilissimum est, contumacem posse depellere, & a proborum cetero disingere.*

**G**rande detrimentum grex pateretur, si ouis morbida, & quae alias tabe serpente inficeret, nequirit ab aliarum consortio separari; vt grande est commodum posse disingere. *Morbidas pecoribus* (aiebat Seneca lib. 1. *de ira, cap. 15.*) *ne gregem polluant, ferrum demittimus, portentosos factus extinguimus.* Pietas est serpente morbum retringere, & ceteris vitis incommodo prouidere. Aliquando religiosam vitam professi degenerant, & prius generosum vinum in mordax, & acre transeunt acetum; qui si nequeant expelli, aut prauis exemplis alios inquinant, aut sermonibus deprauant; hos ergo posse amandare grande est commodum, non posse, nocentissimum detrimentum. Heli, vt Theodoretus placet, poterat a ceterorum collegio depellere filios institutum adulterantes, munusque peruertentes: ergo indignationem incurrit, dum adeo vtili iure non vitius, & religionis notam, virtutis iniuriam retinere conatur. *Quare facitis res huiusmodi, quas ego audio, res pessimas ab omni populo? Corripuit, sed parentis vultu. Quid tunc? Praecidam brachium tuum.* Et quare Heli brachium adeo seuerè praecidit? Quia Sacerdotij iniuria retinuit quos poterat depellere. Ita Theodoretus: *Oportebat, cum post primam, & secundam admonitionem perseverassent in nequitia, eos a templi ambitu expellere.* Ceteris prodesset expulsi, nocuerunt crudeli misericordia retenti; & dum Heli facta sibi facultate non vitius, digna seueritate mulctatur. Oppones, satis esse durum, post multos in religione annos positos religioso habitu denudari, & iterum saeculo committi. Audi Senecam iam datum. *Nun quis membra sua odit, tunc cum abscindit? Non est illa ira, sed miser à curatio.* Crede, religiosum corpus aliquod membrum non sine dolore abscindere, est tamen vitis depulsio ceterorum curatio. Ni stomachus cibum saluti aduersantem reddat, euomatque, vita periclitatur, aut saltem concutitur: Non est vomitus iucundus, sed saluti necessarius.

TEXTVS.

VERS. XXIV. Nolite facere filij mei : non enim est bona fama, quam ego audio, vt transgredi faciatis populum Domini.

§. LXXVII.

*Prolabi est fragilitas, oculos non vereri, peruersitas.*

Qui caute delinquit, ipsa cautela delictum quodammodo acculat, & legum reuerentiam non calcas qui verò non veretur publicum, ipsa insolentia agnoscitur adaugere peccatum. *Alieni facti iure* (aiebat Calliodorus 10. *variar.* 13.) *inuidiam sustinet, qui peccatis prestat exemplum.* Qui non timet scandalis alios proirare, aut offendere, in se armat seueritatem, & quam edocuit, culpam iustissime luit. Adamo intra paradisi septa peccanti video misericordiam exhibitam: Caino in aperto campo fratricide pœnam inflictam, & multam grauissimam irrogatam. Filij Heli iam sibi intrare supplicium, cum omnibus præbuerunt scandalum. *Quare facitis res huiusmodi, quas ego audio, res pessimas ab omni populo?* Quasi dicat Heli eos obiurgans: *Quare sic peccatis, vt scelus non lateat, sed ipsa sua publicitate inuerecundè iura contemnat?* Peruersitas inuerecunda, audax insolentia nil habuit, quo se defenderet, quando infum à natura pudorem abiecit, & culpam incrementauit. Publicè perierunt, qui deliquerant publicè: *Pracidam brachium tuum, & diuina iustitia grauitate supplicij honori suo prouidit, & exhibere legibus reuerentiam edocuit: Ista erant mala* (inquit Abulenſis *quæst.* 11.) *ita manifesta, quod nequaquam celari poterant.* Peccatum absconditè etiam perpetratum est fœdum, verum si verecundiæ metas transiliat, si detestabili temeritate, sibi de publico plaudat, veniam sibi impedit, & cœlestis indignationis flammam accendit.

§. LXXVIII.

*Ecclesiasticorum culpa laicis est quodammodo delinquendi licentia.*

Sacerdos pro placando Numine, pro abstergendis delictis, pro concinnandis moribus consecratur. Hinc, quod populatis à tanto viro intuetur parari, arbitratu sibi licere; & quæ non fiat culpa excusabilis, si Sacerdos deliquerit. *Vnde estimare* (aiebat Theodahadus 10. *variar.* 13. *Senatores alloquens*) *cui debeat populorum inanis leuitas imputari, nisi vestro ordini, à quo decernerat cuncta componi. Per vestram siquidem sapientiam admoneri prouincias oportuit vniuersas: vt talia probarentur assuere, que Principis primordia viderentur ornare. Verum que ciuitas non fiat excusabilis, si Roma deliquerit.* Maiorum piacula minoribus sunt scuta; & quare plebeius à se patratam non defenderit culpam quando Senator grauiorem commisit offensam: Heli filij iudicialia, ac senatoria potestate condecorati, & Sacerdotio insigniti eis criminibus polluebantur, vt nullius noticiam fugerent, imò honestas aures diuerberarent: *Non est bona fama, quam ego audio* (aiebat pater) *vt transgredi faciatis populum Domini.* Inquires, cur populi peccata, vel eorum pater Sacerdotibus adscriperit, & transgressionis efficacem fuisse causam verbis clarissimis asseruerit: *Vt transgredi faciatis populum Domini?* A lege Dei discedere admonitione execrabili non suadebant, & tamen eis populi transgressio applicatur, nec populus hic de transgressione, aut punitur, aut reprehenditur. Et cur Heli populum non carpat, & Sacerdotes solummodo reprehendat: *Quia sibi factam licen-*

tiam transgrediendi leges existimauit plebeius, dum ceremonias, & statutas sacrificiorum leges proculcabat altaribus dedicatus. *Pro malitia eorum* (inquit Lira) *populus retrahetur à sacrificiis debitis, & à debita reuerentia erga Deum.* Lex tempora sacrificiis præscribebat, & ad sacrificia obligabat; verum populus, dum vidit Sacerdotes ceremonias contemere, existimauit sibi licere sacrificia obliuioni tradere. Ergo Heli populum, licet sacrificia non offerret, non carpsit, sed in Sacerdotes inuexit, quasi populo esset Sacerdotum culpa transgrediendi leges licentia.

§. LXXIX.

*Qui dissimulat domesticorum errata, nequit corrigere aliorum delicta.*

Linguis est, vt aliorum carpat scelera, qui suorum dissimulauit errata, & reus iniquam opponet correctorū patientiam, quo propriam defendat culpam. Ipsa conscientia vocem aufert, & vbi cognitor aliam pro suis, & pro aliis sententiam fert, in se armat linguas, & sustinet iustas querelas. *Quod iustus pero* (aiebat Plinius Aristonem alloquens 8. *epistolar.* 14.) *primum vt erroris, si quis est error, tribuas veniam, deinde medicaris scientia tua cui superflui cura, sic iura publica, vt primata, sic antiqua, vt recentia, sic rara, vt assidua tractare.* Cum idem ius propriis, & extraneis sit, vel omnes, si delinquant, dissimulandi, vel eadem sunt lege puniendi. Non dubito, nonnullos audaci insolentia sibi, suisque parcere, & alios seuerè premere; hoc iam audaciæ metas excedit, & impudentiæ limites transit. *Nosine hos* (aiebat datus supra Plinius *epist.* 22.) *qui omnium libidinem serui, sic aliorum vitium irascuntur, quasi inuideant, & grauissimè puniunt, quos maxime imitantur.* Videas aliquando criminis iudicem, criminis etiam imitatore, quod in se parit, in alio punit; frequentius tamen est ora obmutescere ad alios, si obmutuerunt ad suos. Populus à sacrificiis Domini retractus delinquebat: Recedebant à lege, alienabantur à iure, nec inuenies Heli hanc populo obieciſſe culpam, cum satis sortiretur noticiam. Iam si causam quæras. Textus insinuat, filios leuissimè carpsit, ne eorum animos exulceraret, aut tristitia afficeret: *Quare facitis res huiusmodi, quas ego audio, res pessimas ab omni populo?* *Nolite filij mei: non enim est bona fama, quam ego audio, vt transgredi faciatis populum Domini.* Non ignorabat populum leges violare, suis tamen parcens auius non est transgredientes corrigere, & erga filios indulgentia clauderat erga cæteros ora. *Ne filiorum animos* (inquit noster Sanctius) *aut amare contristet, aut grauius exulceret. Tantum dicit illos in causa esse, vt populus diuina transgrediantur præcepta.* In causa erant, vt populus nulla reprehensione reſeruetur cohibitus, quia paternus parcebat filiis affectus.

§. LXXX.

*Aliquando clamoribus iudicis obsurdescit auditus, quia reis inclinatur affectus.*

Delicta voces suas habent, quibus se produnt, & aures feriunt: verum vt serpens aures suas obturat ne quid incantamenti ad eas perueniat; sic aliquando affectus aures sepi, & clamoribus obſistit. *Quid hic deperit* (aiebat Tertullianus in Apologetico *cap.* 1.) *legibus in suo regno dominantibus, si aud. arur?* Nil legi deperit si legi, cuiusque clamori pateret auditus; tamen deperit plurimum, quia surditate occlusit affectus. Ea erat Heli filiorum, & auaritia, & luxuria, quæ omnes ad clamandum cogeret, & ad expostulandum compelleret, verum iudicis quodammodo obsurdescebat auditus, quia pro filiis stabat affectus: *Nolite filij mei:*

MAXERA  
LIB. I.  
REG. 10.  
C. 11.  
75

non enim est bona fama, quam ego audio. Clamor iudicem adurgebat, sed pater dissimulabat. Notauit Abulenſis *quæſt. 12.* Totus populus acclamabat coram Heli. Adneſcit paulo poſt: Ecce qualiter corregebat Heli filios ſuos, ſed leuiſſima erat talis correſtio collata ad magnitudinem peccatorum. Clamabat maritorum honor violatus, vociferabatur ritus ſacrificiorum contemptus, & tamen Heli clamoribus denegabat auditum, quia tenerum impendebat filiis affectu. Nullus erat è populo, qui expoſtulans aures iudicis non feriret, ſed erat clamor inanis, imò Heli hoc magis gloriabatur: quòd eius poteſtas quiret filios abſoluere, & clamoribus obſurdeſcere.

## TEXTVS.

VERS. XXV. Si peccauerit vir in virum, placari ei poteſt Deus: ſi autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo? Et non audierunt vocem patris ſui: quia voluit Dominus occidere eos.

## §. LXXXI.

*Periculoſum eſt Dei maiestatem contemnere, & in eius oculis irreuerenter delinquere.*

EA eſt diuina miſericordia, vt nulla culpa careat medela. Penitentia quidquid error inquinat, quidquid cæca perſuaſit voluptas, quidquid audax perpetrauit temeritas vertit, & radit, & foras proſuſ expungit. Horum bonorum (aiebat Tertullianus de Penitentia cap. 2.) vnus eſt titulus, ſalus hominis criminum priſtinorum abolitione præmiſſa. Hæc penitentia cauſa, hæc opera negotium diuina miſericordiae curans, quòd homini proficit, Deo ſeruit. Itaque in penitentia myrothecio nulli non culpæ inueniuntur medicamina. Omnibus ergo delictis (adneſcit Tertullianus cap. 4.) ſeu carne, ſeu ſpiritu, ſeu factis, ſeu voluntate commiſſis, qui penam per iudicium deſtinauit, idem & veniam per penitentiam ſpondit. Verùm etſi delictum nullum expers ſit medicina, eſt aliquod, cui diſciliſ indulgentia. Peccata in hominem commiſſa Deum offendunt ſed obliquè quodammodo, & mediare. Stat cum Numinis reuerentia fragilitate prolabi humana. Aſt debitam ei reuerentiam denegare, factis maiestatem contemnere, diuinam indignationem viuidiùs exulcerat; & immediatiùs exaſperat: Ergo cùm Ophni, & Phinees non ſolùm libidinibus vacarent, ſed incurioſe, & fordidiſ manibus ſacrificium offerrent, admonuit pater delicta alia poſſe iram effugere; quæ immediare vero in Dei maiestatem & reuerentiam pugnant, multam ſeueriſſimam ſuſtinere: Si peccauerit vir in virum, placari ei poteſt Deus: ſi autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo? Hunc penitentiorem huius ſententiæ ſenſum eſſe tradit noſter Sanctus: Omnia (inquit) peccata, quantumvis contra hominem aliquam Deo faciunt iniuriam, quia legem ab ipſo latam conculcant, & violant. Adneſcit: Multo tamen grauius offendunt Deum, ſi illius cultum, & reuerentiam propriis offendunt; qualia ſunt, quæ Dei domum aliqua ratione contaminant, quæ altari detrahunt, quæ ſacrificiorum ritus, ordinemque conturbant. Dolenter admonuit, ne in ſacrificando, & in Numinis oculis delinqueret, quia iam præſagiebat eiſmodi delicta velut i maiestati iniurioſa ſeueriſſimo rigore punienda; & ſupplicia patrociniis, aut interceſſionibus nullis mitiganda. O timeant! qui altare contemnunt, qui oblata diſtrahunt, qui templum polluant.

## §. LXXXII.

*Stragem ſibi conciliat, qui Deo ſacrata aut ſubripit, aut imminuit.*

Omnia peccata auctori inueniuntur aduerſa, fallunt oblandiſſima ſpecie, ſed dum blandiendo fallunt; altiſſime feriunt; ea tamen grauiorem ſibi ſtragem maturant, quæ aut religioni oppoſita aut rerum Numini ſacrarum cæca rapacitate polluerunt auida. Sacrilegus veſte aurea Appollinem, Deum etſi falſò habitum, denudauit; ſed audaces manus abſciſſæ ſunt, vt neque potiù poſſent rapina, neque euaderent dignam penam. Ita Valerius lib. 1. cap. 2. Acer ſui Numinis vindex Apollo, qui Carthagine à Romanis oppreſſa veſte aurea nudatus id egit, vt ſacrilegæ manus inter fragmenta eius abſciſſe inuenirentur. Quæ in Numen auidæ manus abſciſſa eſt, vt conſtaret omnibus, peccata in ipſum Numen, & in res ſacratas commiſſa, grauiſſimis pœnis plectenda. Ophni, & Phinees infanis appetitionibus inferuebant, & violenter ſæminas conſturbabant; nec ſolùm polluebantur libidine, ſed victimarum etiam rapacitate, iura adulterantes, ceremoniæque contemnent. Heli delictorum fama percullus filios admonuit, grauiorem ſibi maturare ſtragem, quàm libidinoſa concupiſcentia, execranda rapina: Si peccauerit vir in virum, placari ei poteſt Deus: ſi autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo? Ac ſi dicat: Alia errata veniæ relinquunt locum; at factorum rapina, & in ipſum Numen procax audacia, dum iudicis inflammant iram, diſciliùter effugiunt pœnam. Ita Abulenſis *quæſt. 16.* Quamquam vitium peccatum filiorum Heli eſſet graue, tamen Heli ſolùm reigie de peccato in Sacerdotio. Adneſcit: Quando Deus prædiſxit mala futura propter peccatum filiorum Heli, ſolùm fuit tactum de peccatis circa victimas & iſtud eſt peccare in Sacerdotio. Itaque fragiles vacabant libidini, impij delinquebant in munere Sacerdotali: ergo non adeo exacerbauere indignationem diuinam carnis negotia tractantes, quam de victimis detrahentes. Conſonat Tertullianus aduerſus Pſychicos cap. 16. Elicitur pro templi foribus ſenior Heli, filij eius in acie ruunt, murus expirat in partu: hanc enim meruerat à Deo plagam domus impudens ſacrificiorum carnalium defraudatrix. Leuiori pœna multarentur ſædis libidinibus aſtuantes grauiſſimam ſubierunt ſacrificia diripientes: audere namque in Deo ſacrata, diuiſiſſima multatur frequenter pœna.

## §. LXXXIII.

*Filij, ſi ſalubres parentum admonitiones contemnunt, ſtragem ſibi maturant.*

Parentes non reculant pro filiis anxios labores ſubire, & pericula deuorare; eis beneficiis, quæ vel extraneam poſſent obligare perſonam, conantur promereri ſibi obedientiam; verùm nonnunquam filij nomina pietatis lædunt, & ſalubri parentum admonitioni reſiſtunt, & dum ad conſilia ſurdi, ſibi ipſis inueniuntur aduerſi; nam neglectum conſilium grauiſſimum aſtere ſolet diſpendium. Genus pietatis eſt (aiebat Caſthodorus i. variar. 14.) in illos diſtringere, qui contra naturæ ordinem ſceleſtis ſe docturæ actionibus miſcuſſe. Filij ad parentum monita obſurdeſcens, paronum in accuſatorem vertit, & contumacia vitam ſibi ipſi præcidit. Audi oraculum Deuteronom. 21. ver. 18. Si genuerit homo filium contumacem, & proteruum, qui non audiat patris, aut matris imperium, & coërcitus obedire contempſerit... lapidibus eum obruet populus ciuitatis. Lapidum dura grandine interit percullus, qui parentum conſilij noluit reſpiſcere admonitus. Notauit Philo lib. de temulentia: Equum erat habere parentes accuſatores pro aduocatis; quorum eſt officium omnem admonitionem, caſtigatiõemque exhibere.

## TEXTVS.

VERS. XXVI. Puer autem Samuël proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Domino, quam hominibus.

## §. LXXXV.

*Sic in aliquibus interior relucet gratia, ut mirè allegerim sibi corda.*

**H**Oc expositum est ( inquit Seneca lib. 4. de Beneficiis capit. 16. ) pulchritudine quam ut splendor eius dubiè, ac parum luceat. Quid tam laudabile, quid tam equaliter in omnium animos receptum, quam referre beneficium gratiam? Sic thesi Senecæ verba accommodo: Ea scilicet pulchritudine virtus floret, ut omnium sibi gratiam conciliet; & is est aliquando permanens ab interiori virtute splendor, ut intuentium oculos & alliciat, & trahat. Sic natura comparatum est ( aiebat Philo lib. Quod deterius ) ut iustitia primum quietem pro labore inducat. Adnectit: *Et homo repletur gaudio sicut Sara ait enim: Risum mihi fecit Dominus; & addit: Nam quicumque audivit, gratulabitur mihi.* Dum Deum hospitio recepit, & interius gaudium fuit, & gratulationes omnium acquisiuit; & Samuël etiam ea interiori gratia ornabatur, ea relucebat exteriori modestia, ut Dei oculos ad se traheret; & omnium benevolentiam acquireret: *Placebat tam Domino, quam hominibus.* Heli filij hominum consularunt sibi odium, & meruerunt Naminis supercilium: Samuël verd eis prærogatiuis effloruit ornatus, ut Dei gratiam, & hominum conciliaret benevolentiam. Ad rem Abulenſis quest. 21. *Istud est donum quoddam Dei, scilicet ut ipsi, qui Deum diligunt, etiam ab omnibus diligantur.* Dilectus Deo, & hominibus respandit, & sic eius in animo effloruit gratia, ut magnetis adinstar traxerit corda.

## §. LXXXVI.

*Mirandus, qui in ætate immatura virtute respandit cana, & perfecta.*

**C**ætate spurinnæ filio statua decreta est; nam ea ætate, qua ceteri bella virtutibus indicunt, vitij experti floruit, & enituit. *Cotio* ( scribit Plinius 2. epist. 7. ) habitus est honor statua. Rarum id in iuvene. Adnectit: *Tam clarum specimen indolis dederat, ut vita eius brevis, & angusta debuerit hac veluti immortalitate præferri. Nam tanta ei sanctitas, gravitas, auctoritas etiam, ut posset senex illos provocare virtute, quibus iuvenis honore adæquatus est.* Coniungere cum iuuenili ardore maturam prudentiam, cum intemperanti ætate pudicitiam, cum fortunâ modestiam, dignum fuit, quod immortalis donaretur honore. Quam singulare etiam in Samuele fuit eisdem gradibus virtute, & ætate crescere, & senilibus moribus acerbam illam ætatem corrigere, & castigare: *Samuël proficiebat, atque crescebat.* Augebatur ætas, & tenore eodem probitas. Ita Chrylſtomus: *Quamquam ætas esset immatura, virtus tamen aderat matura.* Consonat *Lira*: *Proficiebat, ætate scilicet, & virtute.* Florida iuventus captiosas insidias non moliebatur virtuti, sed virtus ætatis medebatur ardori. Ergo Dei promeruit gratiam, & hominum etiam benevolentiam: *Placebat tam Domino, quam hominibus.* Erat in miraculum iuuenis refragante tempore senis; cum ut plurimum adolescentia interuiat infans appetitionibus, & concinnis opponatur virtutibus.

extinguere sanab libus. Sceleribus se sauciant adhuc est in parentum admonitione medela, quam si respuat dura peribit vindicta. Filij Heli sceleris se peccatorum excessibus polluerant, diuina tamen patientia, ut respiscerent expectabat. Pater eos corripuit, & grande eis periculum imminere præmonuit: verum patris monita spreuerunt furdi, & criminibus correctionem contempserunt addidit: ergo quos antea sustinuerat patientia, iam sententia addidit morti seuera: quasi ante patris admonitionem aliquod superesset remedium, & admonitione contempta nullum illis remaneret effugium: *Non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos.* Hoc solum illis manebat medicamentum, quod dum non profuit, seuerum manſit supplicium. Opportune Rabbi David: *Cum inopi peccata peccatis cumulant, Deus illis postremo iter ad respiscendum recludit, parum ut suorum scelerum deat pœnas, parum ut huiusmodi exemplis pij admoniti sibi diligenter caueant.* Ostendit horum supplicium Deus, parentum monitis acquiescentes pœnam delictorum effugere, & infelici surditate contententes vitam sibi præcidere, & stragem luctuosissimam maturare.

## §. LXXXIV.

*Scelerum pœna est interioris surditas auris, & obstinata durities cordis.*

**P**eccata peccatis adiecta cordis afferunt obstinatam duritiam, & impediunt ad respiscendum viam. Qui venenum hausit, oculorum lucem amittit; aurium incurrit surditatem, mentis torpedinem. *Si plagam sauciauerit* ( inquit Tertullianus aduersus Gnosticos cap. 1. ) *intimat vris, & properat in viscera statim omnes pristini sensus recipiunt, sanguis animi gelscit, carne spiritus excolescit.* Deprauatus veneno oculus non videt, auris peste vulnerata non audit, & cor ardorem solum, quo adurit, sentit. Medicinam Deus Adamo approperauit, ne sit serpentis sibilis assuesceret, eius vocem non audiret: *Vbi es? Qui ait: Vocem tuam audivi in paradiso.* Philo lib. 2. *Allegoriam, notauit Euan non vocatam: Cur solus Adam vocatur, quæ mox vxor vna lateat? Fors Eua auris serpentis sibilis infecta non audivit vocatam, & fors ab eis latebris quam citò Adamum eduxit, ne si diu venenum serperet, & ipse detrectaret audire.* Adnectit Philo: *Responsio talis esse potest, quæ etiam Adam vtitur. Vbi sim, audire vbi hi, qui Deum videre non possunt; vbi qui Deum non audiunt; vbi qui ab auctore omnium rerum volunt se abscondere; vbi qui virtutem fugiunt; vbi qui exuti sunt sapientia.* Ad eas peccati latebras Adamum eius culpa duxerat, vbi Dei vocem non audiret, & ni adeo propterea subueniret Dominus medicina, inolefcens surditas facile salubria non admitteret remedia. Filij Heli rapinis, & libidinibus afflicti ad parentis monita obsordescent: *Non audierunt vocem patris sui.* Criminis consequentia fuit oclusus affectus, & prauæ appendix consuetudinis obduratus affectus. Ita Abul. 9. 21. *Si isti filij Heli ei obedissent sermonibus patris conuersi fuissent ab iniquitatibus suis prioribus, & tunc Deus non occideret eos, nec infixisset pœnam pro peccatis ipsorum, sed Deus voluit occidere eos, quia peccauerunt, idè noluit, quod obedirent verbis patris.* Criminum pœna fuit autem interioris ocludi, & animum indurari. Ergo dum obsordescent ad monita, miseranda subeunt supplicia; inopinè corruunt hostili gladio percussi, & immatura ætate sublati, nec enim poterant diu viuere, qui ad parentum salubria monita adfectabant obsurdere.

## §. LXXXVII.

*Deprædicanda prudentia est, sic Deo seruire, ut hominibus placeas, sic hominibus placere, ut Numini inservias.*

**A**rdum est, & periculosum inter scopulos nauigare; sicque nauim regere, vt feliciter possis portum appellere, tamen est alicuius naucleri prudentia, vt placido transcurfu nauigium dirigat, & periculosas syrtes euadat: inueniuntur tamen eiusmodi naucleri paucissimi, alij ambitionis gubernaculo, cupidinis vento à ratione discedunt, humanam gratiam exambientes, & volaticum plausum desiderantes. *Vniuersam vitam conuersationem sine gubernaculo rationis transfractantes* (aiebat Tertullianus *de Penitent. cap. 1.*) *imminentem seculo procellam vitare non norunt.* Ob id Paulus aiebat: *Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem, ad Galat. 1. vers. 10.* Docuit, humanum fauorem virtutis detrimento, nec emendum, nec procurandum; virtuti namque officit fauor; alij è contrario horrido supercilio homines adspiciunt, & inurbani, ac intractabiles ab aliorum conuictu recedunt. In vtroque peccatum est, nec vt colatur virtus, est inurbanitas scèdanda, & affabilitas expungenda, nec, vt adquiratur fauor, virtus violanda. Prudens funabili adinstar sic actiones suas librat, vt Deo seruiat, & homini proficiat, scit enim verum esse, quod aiebat Tertullianus iam datus *cap. 2.* *Quod homini proficit, Deo seruit: ergo studet homini proficere, & Numini famulari.* Ad hoc (quærit Seneca *epist. 92.*) *quomodo peruenitur?* iam respondet: *Si veritas tota perspecta est, si seruatus est in rebus agendis ordo, modus, decor, & innoxia voluntas, aut benigna, intenta rationi, nec unquam ab illa recedens, amabilis simul, mirabilisque.* Voluntas innoxia, vrbana, benigna omnium sibi elucrat beneuolentiam, & caelestem adauget gratiam; quod factis Samuël edocuit nulli noxius, omnibus vrbanus, benignusque amorem sibi conciliauit, & rationi obtemperans virtute profecit: *Placebat tam Domino, quam hominibus.* Candidus, & vrbanus placebat homini, virtutibus excultus Numini, vt eius demereris prudentiam, & laudabilem viuendi formam. Notauit noster Sanctius: *Viuendi forma, vt erat Deo grata, sic etiam apud homines, & excitabat admirationem, & conciliabat gratiam.* Nonnulli inciuilitate virtutem reddunt odiosam; at Samuël talis erat, vt comitatem, virtutemque coniungeret, & se Deo, & hominibus amandum redderet.

## §. LXXXVIII.

*Satis non est Dei ministro interiori sanctitate fulgere, sed opus, suauis opinionis odore fragrare.*

**A**D Ecclesiasticæ dignitatis culmen promotus omnium debet virtutum lumine replendere conspicuus; & ita vitare fascino laudis, vt non abscondat, sed omnes recreet suauissimo odore virtutis. Abscondant alij sanctitatem, fugiant oculos; illis namque est satis conscientia: at Dei ministris, & conscientia est opus, & fama. Iacob in vtero matris triumphauit; verum infulis Sacerdotalibus indutus, quouique suauissimum odorem emisit, benedictionem non impetrauit: *Statim vs sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni: cui benedixit Dominus.* Sacerdotales fuisse vestes tradit Lira: ergo Sacerdoti satis non fuit interna victoria, sed exterior etiam fragrantia. Ob id Samuël Dei minister, & Deo placere studuit, & optimam apud homines opinionem curauit: *Placebat tam Domino, quam hominibus.* Homines interna non penetrant, de exterioribus iudicant: ergo Samuël ea se circumspectione gerebat, vt nec leui indicio sinistram ingenerauerit suspicionem, immò egregius factis semper commendat virtutem. Notauit

Hugo Cardinalis: *Placebat tam Domino per mundam conscientiam, quam hominibus per bonam famam, & ita habebat balsamum fame, & oleum conscientie, ex quibus conficitur crisma, quo inungitur omnis Christianus.* Qui Christi scholam intrat, crismate inungitur, quo & fulgere integra conscientia, & fragrare suauissima edocetur fama. Vt hinc discant bis inuncti, quam teneantur virtutibus expoliri, & quidquid bonæ famæ opponitur, aduertari.

## §. LXXXIX.

*Dei ministri adspèctus ad Dei pronocet laudes, & aspicienti inspiret virtutes.*

**L**Vx splendoris flore tenebras detegit, & oculis visum restituit: Lux sine lingua docet scandala vitare, & præteritas tendiculas fugere: *Vos estis lux mundi* (aiebat Christus discipulos alloquens) *Matth. 5. vers. 14.* vt lucis naturam imitati non solum non obtenebrecerent tenebris deturpati, sed aliorum caligines propulsarent conspecti. *Etsi eloquium quiescat* (aiebat Tertullianus *de pallio cap. 6.*) *aut infantia subditum, aut verecundia reuerentium* (nam & elingui philosophia vna contenta est) *ipse habitus sonat.* Sic denique auditur Philosophus, *cum videretur.* *De occurfu meo vitia suffundat.* Sonat elinguis modestia, sonat tacita verecundia, ipse habitus, & aspectus pro voce est: quod in Samuèle competies; adhuc puerulus, quando ætas frenabat linguam, quando verecundia subducebat loquelam, sic lucebat virtutibus exornatus, vt virtutes inspiraret solummodo aspectus: *Proficiebat, atque crescebat.* Virtutum augmentis aliis proficiebat, & ad virtutes aspectus solummodo prouocabat. Accipe Chrysostrum: *Nec qui quam visio puero ratiis desendebat, sed omnes glorificabant illum, à quo præter spem datus est.* Puer gratiarum manibus factus eam modestiam ore præferebat, vt ad Dei laudes prouocaret, & mores intuentium componeret; vt repetat Tertullianus: *Etsi eloquium quiescat infantia subditum, aut verecundia reuerentium, ipse habitus sonat.* O vrbani Dei ministri de occurfu suo vitia suffundant, & taciti ad virtutes prouocant!

## §. XC.

*Magisterij honor non tam debetur tempori, quam virtuti.*

**M**ORIBUS esse debet conspicuus (aiebat Cassiodorus *3. variar. 3.*) *qui datur imitandus.* Prolixi anni per inertiam traducti eligendo refragantur, nec potest alios efformare doctrina, qui sibi famam non acquisiuit probitatis, & scientiæ gloria. Qui longa virtutum exercitatione incanuit, iure aliis præpositus lumine dignitatum resplendit. Suffragium à sola senectute est ieiunium, petiturum à virtutibus est honestum. Eodem tempore Heli, Samuëlque templum incolebant, & quamvis Heli ætate longævus, & Samuël iuuenili ætate floridus non placebat ad templum inuolantibus senem audire, quia malebant iuuenem aufcultare. *Placebat tam Domino, quam hominibus.* Placebat hominibus iuuenem consulere, & legem à Deo edoceri. Heli senectus iuuentuti postponebatur, nam magisterij honor non tam debetur tempori, quam sapientiæ, & virtuti. Notauit Chrysostrum: *Ascendentibus in templum omnibus, multa pietatis magister factus est.* Vel refragante ætate omnium est factus magister, immò ipsa iuuentus virtuti, sapientiæque inementabatur clogium, & mirandum reddiderat magistrum. De nostro Samuèle potuit reperere Theodoricus, quod *2. var. 1.* Anastasio Imperatori scribebat: *Dignus planè largitibus nostris, qui in ipso pueritia flore maturis moribus lubricam frenauit atatem; & quod rarum continentia bonum est, patre prinatus, granitatis factus*

factus est filius. Cupiditatem inimicam sapientie subiungit: virtutem blanda contempsit: superbia uana calcavit. Ita sperans excessibus ante dare visus est de moribus Consularum. Ad templum confluentes inspecta iuuenis probitas sibi conciliabat, & bonis institutis ornatum præ seculare uti magistrum suadebat: Ascendentibus in templum omnibus multa pietatis magister factus est. Magisterij honorem non senectute acquisiuit, sed virtutibus comparauit.

TEXTVS.

VERS. XXVII. Venit autem vir Dei ad Heli, & ait ad eum: Nunquid non aperte reuelatus sum domui patris tui, cum esset in Aegypto in domo Pharaonis?

§. XCI.

Angeli nobis sæpe futura denuntiant pericula, vt scudeamus opportuna adhibere remedia.

Angeli, quibus Deus de nobis mandauit, sollicitè ad eò nostram procurant salutem, vt suam videantur in ea sortiri tranquillitatem. Pericula arcant, salubribus nos dirigere conantur consiliis, & captiosis expediunt laqueis. De beatissimis spiritibus, quod primo variat. i. potuisset dicere Cassiodorus: Vos estis reguorum omnium pulcherrima decus; vos totius orbis salutare presidium... Regnum vestrum imitatio: vestra forma est boni propositi cuius exemplar imperij, qui quantum vos sequimur, tantum gentes alias anteuimus. Plurimis anteibimus felicitate, & virtute, si sanctorum Angelorum, & amplectamur monita, & sequamur vestigia. Ea erga nos charitate inardescunt, vt quò nobis profint, & splendorem obnubilent, & personam alienam induant. Heli amorem filiorum obsecutus imminetia sibi non prauidebat pericula. Ergo Angelos, vt Hebrais placet, humanam assumit formam, vt prædicans appetentem impediret ruinam: Venit vir Dei ad Heli. Hebraei, teste Hugone, autumant vitum hunc Angelum fuisse humana similitudine indutum: Vir Dei ad est, Angelus Dei secundum Hebraeos. Angelus, vt impendentis mali denuntiatione Heli veluti dormientem excitauit, inuolat, & ceteri hominem non detrectat. Nostram ad eò Angeli salutem suspirant, ardentè ad eò incolumitatem exoptant, vt non solum internè ad-mouendo pericula auertant, sed externa etiam humana forma nobis appareant, & vt fugiamus periculum pro-uidè charitate prædicant.

§. XCII.

Plures in aduersa fortuna coluerunt virtutem, qui in prospera secuti sunt prauitatem.

Nihil nobis erit (aiebat Tertullianus, etsi aliofsum de testimonio animæ, cap. i.) cum literis, & doctrina peruersa felicitatis. Docet felicitas inflari, docet superbire, docet iugum omne legis excutere. Quam ardentè homines felicitatem suspirant, si nosse fugerent. Quæ sunt fortunæ insidiæ, munera putantur; fugitiua luce oculos pestringit fastigium, & sub illa aurea bractea mortale solet lacere venenum. In abiecta sorte & spiritus depressior, & animus humilior, & ad virtutem paratior. Maxima virtutis gloriam commendat (Homerus) inquit Plutarch. lib. de Homero, cum Achillem quidem factis non fortem modo, sed & formosissimum, & pedibus velocissimum, & natalibus summis ortum, illustrique patria, & Iouani deorum auxilio adiutum. Summi Dei egebat auxilio, tot fortunæ, naturæque dotibus exornatus, ne forsederet vitis obscurus. Magnum est à calamitate non vinci, sed maius de prosperitate triumphare. Laudabile quidem esse statunt (adicit Plutarchus) & admiratione dignum in austeribus morbo, paupertate, aliisque non spontè Eman. de Naxera in Reg.

nostra accitis calamitatibus uti animi virtute malis resistente; non tamen expectandum hoc neque beatum. At in prosperitate sapere id reuera esse felicitatis. Itaque apud Philosophos non ad eò mirandum erat in calamitate virtutem colere, ac in prosperitate sapere. Et quidem experientia edocuit aduersitate non deiectos, iacuisse ipsa felicitate concussos. Seruitute oppressa Aaronitica familia meruit à Deo eligi, & sacris infallis exornari: Nunquid non aperte reuelatus sum domui patris tui, cum esset in Aegypto in domo Pharaonis? In domo Pharaonis electa est Aaronis domus ad apicem dignitatis, & in dignitatis apice, ac Dei templo meruit dignitate priuari, & supplicij repetitis puniri: Loquens loquutus sum, vt domus tuas, & domus patris tui ministraret in conspectu meo usque in sepulchrum: nunc autem dicit Dominus: Absit hoc a me. Fortunatus displicuit, captivus placuit; laboribus diuexatus meruit Sacerdotale fastigium, in fastigio inuenit & supplicium, & passus est dignitatis naufragium, vt noueris, plus à felicitate, quàm ab aduersitate timendum, sollicitiusque inuigilandum. Aaron, à quo descendit iste Heli, vt dictum est supra primo capitulo (inquit Lira) per Domini reuelationem ibat obviam fratri suo Mosi, & tunc reuelatum fuit sibi, quòd futurus erat summus Sacerdos. In domo Pharaonis sacerdotium promeruit sortiti, in templo sacerdotio meruit nudari.

§. XCIII.

Non semel ex infima fortuna ad dignitatem electus, electoris honorem proculcat tumidus, aut auarus.

Tertius est quosdam ostendere, quàm beneficiis ornare: argumentum nihil debentium ingrato tumore querunt, & à gratitudinis legibus profus deficiunt. Rariores in eorum officiis sunt (aiebat Seneca lib. 2. de Benefic. c. 23.) quibus vitam, aut dignitatem debent: & dum opinionem clientium timent, grauiorem subeunt ingratorum. Verum etsi hoc mortalibus vitium commune sit, eo præcipuè solent laborare, qui ex infima fortuna inopinis successibus ad dignitatem culmina ascendunt: humiliter, summissèque se initio gerunt; postea, tamen eo tumore inflantur, ea inflatione tumet, vt electoris honorem proculcarint, vt cupidini, aut vanitati inservierint. Non patitur auiditas quenquam esse gratum: vt aduletur sibi, electoris aduleratur honori, & què studiosius debuisset colere, impudentius solet benefactorem despiciere. Deus Aaronicam familiam à compede liberauit, & ad supremas Sacerdotij infulas extulit: Nunquid non aperte reuelatus sum domui patris tui, cum esset in Aegypto in domo Pharaonis? In Aegypto premebatur Aaron obscura seruitute, à sordidis laterum operibus ad dignitatem euectus est, & cum familia tot obstructi beneficiis electoris deberet honorem tueri, & deuotius famulari, victimas sibi rapiens altaria contemnebat, & diuinum honorem calce quodammodo proculcabat: Calce abieciſtis victimam meam. Et addit: Qui contemnunt me, erunt ignobiles. Electorem contemnebant electi, & eius splendori adulerabantur ex infima fortuna extracti. Porro abjicere calce (inquit noster Sanctius) nihil est aliud, quàm conculcare, aut pedibus impactis quod graue existimatur ignominie genus, quasi aliquid esset futile, ac sordidum, procul abjicere. Ea cupiditate flammescabant, ea turgebant superbia, vt Dei victimam contemnerent, & eius maiestatem despicerent. A nullo alio tantam Deus ignominiam accepit, quantum ab Aaronica familia tulit: nullus alius sic diuino honori inueniebatur aduersus, vt qui à seruitute ad summam dignitatem elatus. Sæpe namque ex infima fortuna ad dignitatem euectus electoris honorem innubilare conatur, aut tumidus, aut ingratus.

MAXERA  
LIB. I.  
REG. 10.  
C. 17  
75

## TEXTVS.

VERS. XXVIII. & XXIX. Et elegi eum ex omnibus tribubus Israël mihi in Sacerdotem, ut ascenderet ad altare meum, & adoleret mihi incensum, & portaret Ephod coram me, & dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorum Israël. Quare calce abiecisti victimam meam, & munera mea, quæ præcepi, ut offerrentur in templo: & magis honorasti filios tuos, quam me, ut comederetis primitias omnis sacrificij Israël populi mei.

## §. XCIV.

*Aliquando minister ad Principis utilitatem electus, proprie indulget cupidini auarus.*

**E**O maiora cupimus (aiebat Seneca 2. de Beneficiis, cap. 27.) quo maiora venerunt: multoque concitatior est auaritia in magnarum opum congestu collocata. Ut flamme infinito acrior vis est, quo ex maiore incendio emittitur, æque ambitio non patitur quæquam in ea mensura honorum con- quiescere, qua quondam eius fuit impudens vorum. Ea contigit nonnullos fortiri, quæ nec temeraria cupiditas au- deret desiderare, & diuitiarum copia exundantes, digni- tatumque luminibus resurgentes adhuc non quiescunt, sed plura hydropica siti exambiant, & hoc sæpe eius de- trimento, qui diuitiis cumulauit, & honoribus extulit. A principe dignitate donatus sibi applicat auarus, quod Principi debuisset sollicitate studiosus, & dum cupidi- tati, ambitionique plures nesciunt modum imponetes, omnia inueniuntur amittere. Elegerat Deus Aaronicam familiam, ut incensum adoleret, ut ephod portaret, ut adipem altari imponeret, & ne obsequium irremuneratum maneret, de sacrificiis non modicam partem adsi- gnauit; verum adeo longè erant ab augmentis Principis procurandis, ut exaceranda sibi diriperent auaritia, quæ Principi fuerant soluenda: *Quare calce abiecisti victi- mam meam, & munera mea, quæ præcepi, ut offerrentur in templo?* Ac si dicat: ni vos honoribus extulisset, & co- piosis sacrificiorum prouentibus diuitissimam, nil mirum diriperetis vobis, mihi iure debita, legèque præscripta: verum copioso censu munerati, & ad honorem, utilita- temque meam electi meum neglectis censum adauge- restudentes solum diuitias vobis incrementare. Ita no- ster Sanctius: *Saris abundè prouisum est à Deo Sacerdo- tum non solum necessariis vsibus, sed etiam abundantibus.* Adnectit: *Quo circa non adigebantur necessitate, que inter- dum culpam, aut omnino tollit, aut saltem eleuat, ut aliena raperent, & illa etiam, qua Deus sibi ex omnibus vindica- bat.* Itaque quem sibi Deus adipem sacrificandum lege sancierat, sibi applicabant, & proprium censum census Domini detrimento adaugebant ipsi, qui ad iura Prin- cipis tuenda delecti, & stipendiis copiosissimis mune- rati: O quoties ipsi, qui videntur Principis, Domini- que utilitatibus inservire, probantur propriis fraudulen- ter commodis studere! Quæ Principi debita, sollicita in- dagatione perquirunt, sed cum acceperint, Principis thesaurum non reddunt, & grauius regalis facultas ab eis patitur detrimentum, quos delegerat ad sub- sidium.

## §. XCV.

*Cæca cupiditas exiguum mercatur lucrum grauisimo detrimento.*

**V**ltra se cupiditas porrigit (aiebat Seneca 2. de Bene- ficiis cap. 27.) & felicitatem suam non intelligit. Fe- licitas moderatione stabilitur, integritate in auara

roboratur: verum adeo exoculata est cupiditas, ut ini- quis cum artibus adnitatur firmare, cum certissimum sit destruere: æquitatis legibus parere; quod suum est cuique reddere, iustitiam inuolatam seuerare, securi- ma sunt fortunæ fulcra, firma felicitatis sunt funda- menta. Alienæ diuitiæ sunt diuitiarum ærogo, & inde pereunt corrosæ, vnde putabantur aduectæ. Filij Heli fulgebant honore, & Sacerdotalibus insulis decorati, & satis abundè facultatibus copiosi: verum dum pro sua tantum libidine debita Deo munera diripiunt, hono- rem, & propriam facultatem deperdunt. *Elegi eum ex omnibus tribubus Israël mihi in Sacerdotem, ut ascenderet ad altare meum, & adoleret mihi incensum, & portaret ephod coram me. Et dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filio- rum Israël.* Et cur tot tantaque amisit? Quia pluibus contra ius, sâque cæca cupiditate inhiauit: *Quare calce abiecisti victimam meam...* *Præcidam brachium tuum*, id est dignitate interdica, qua priuatus & sacrificiorum carebis relictus, & honoribus. Ita Interlinearis: *Præcidam brachium tuum, dignitatem, & robur Sacerdotij.* Ut acquirerent aliqua, amiserunt omnia. Proprie felicitatis fuit tinea auaritia nunquam satiata. Poterunt honoribus, exundantem facultatibus, æquitatis legem secuti, & proprio censu contenti.

## §. XCVI.

*Qui cæca ad eligendum affectione ducitur, sibi, & electioni imprudenter aduersatur.*

**S**ecurus cæsa conscendit (inquit Cassiodorus 7. variar. 13.) qui se in paulo minoribus approbavit, & certo pro- cedit vestigio, qui gradatim desiderio potitur accipio. Sine merito siquidem remuneratum putatur omne, quod subitam est: nec inexplorati suspensionem refugit, quod repente promeruit. Non conscendit cæsa securus, qui dignis actionum suffragiis non præluxerit approbatus; nec certo procedit vestigio, qui obtinuit gradum ca- cipienti solum affectu. Non semel maturat stragem, qui affectione ductus procurat honorem; nec oppor- tunè consulit dilecto, qui sine meritis fatagit collocare fastigio. Heli, ut filios honoraret, ad dignitatem incon- sulte extulit: *Magis honorasti filios tuos, quam me.* Verum dum dignitatibus improvidè adaugebat sibi, & illis calamitatem adiecit, & dum amor properat præmaturate incrementa, luctuosa accelerat damna: *Præcidam brachium tuum*, id est, ut ex Interlinearari vidimus, digni- tate mulcabo: *Præcidam brachium tuum, dignitatem, & robur Sacerdotij.* Affectio, dum filios ad dignitatem effert, à familiâ suâ dignitatem præcindit. Ni extulisset filios, præcipitati non ruerent, nec præciso brachio lugerent. At dum exaltat dignitatum splendorebus illustrare, probatur obscuris nebulis sepelire. Oppor- tunè Gregorius apud nostrum Sanctium: *Filios, & propinquos magis quam Dominum honorat, qui ad sacros ordi- nes personas eligit, non ex conuersationis honestate, sed amore propinquitatis.* Idcirco filij honorati referuntur, ut sacrificij primitias ederent, quia carnales Prelati spirituales honoris culmina carnalibus propinquis ideo tribuunt, ut Ecclesiasticis facultatibus ditentur, & in altitudine ordinis cumnien- tur abundantia vberitatis. Adnectit moralissimus Grego- rius: *Nec curant quales sunt, qui ad spirituale ministerium veniunt, sed tantum, ut temporali dignitati præferant, quos carna- li affectione complectuntur.* Non expendit carnalis affectio dignitatem sine meritorum fulcris nutare, & inde emergere possidentium detrimentum, vnde speraba- tur honoris, & commoditatis auxilium, & dum cæcæ affectio ducitur, calamitas maturatur.

## §. XCVII.

## §. XCVII.

*Parentes non tam curant filios virtutibus expolire, quam facultatibus adaugeere.*

Ediderant parentes, ne filiis oneri sit paupertas, dant ipsi aliis, & ob id maxime fatagunt eorum fortuna nam copioso auro fulcire, & magnois prouentibus onerare. *Quantum sat est nondum habeo* (aiebat quidam apud Senecam epist. 17.) *si ad illum frammam peruenero, tunc me totum Philosophia dabo.* Ordinem peruerit, qui Philosophiam loco vitimo posuit: prius debuillet se virtutibus expolire, & postea honeste diuitias quaerere: verum cum apud homines maiori in pretio sit, quam morum concinnitas, superba diuitiarum vanitas, prius studuit vanitati; postea virtuti. Accipe Senecam: *Atqui nihil prius quam hoc parandum est, quod tu differis, & post caetera paras. Ab hoc incipendum est. Parare inquit, unde vitam, volo. Simil & parare disce.* Non discunt homines parare affectionibus praepediti, & falso iudicio obscurati; nec aliter quam erga se, erga filios se gerunt; prius fatagunt diuitias illis congerere, postea ad Philosophiam traducere, cum sine virtute diuitiarum cumulus miserandus fuerit plurimis casus. *Multis* (aiebat Epicurus data epist.) *parasse diuitias, non suis miseriarum fuit, sed mutatio.* Dicere potuisset, sed exordium; sapē namque inde erumpit calamitas, unde sperabatur felicitas. Heli anxius votis curauit, vt filij primitiarum censu splendererent diuites non adeo studiosē, vt eorum concinni splendererent mores. *M'gis hoc v'isti filius tuas, quam me, vt comedatis primitias omnis sacrificij Israel populi mei.* Lautam illis procurauit mensam, non expolitam virtutibus vitam; ergo eorum brachium praecillum est: *Praecidam brachium tuum, & brachium domus patris tui.* Non didicit fulcere fortunam, immo dum filios diuitiis fatagit adingere, infortunia contigit maturare. *Praecidam brachium tuum* (inquit Interlinearis) *dignitatem, & robur Sacerdotij.* Diuitiarum cumulis honorati inferuerunt appetitionibus caeci, & copiosum aurum illis fuit praematurum excidium; vt aliena in calamitate didicerint patres, prius quam copiosas facultates, procurare filiis virtutes.

## TEXTVS.

VERS. XXX. Propterea ait Dominus Deus Israel: Loquens locutus sum, vt domus tua, & domus patris tui ministraret in conspectu meo vsque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Absit hoc à me: sed quicumque glorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.

## §. XCVIII.

*Probitas afert secum semper gloriam, improbitas ignominiam.*

Inter reliquos mortalium errores, ille & frequens, & infelix est, quod contraria via ad terminum exoptatum existimant se peruenturos, & placida fore quiete beatos. Exambiant gloriam, discipiunt famam, fatagunt stabilire sibi fortunam, sed contrarium iter ingressi, quo maiori impetu inuolant, maiori interuallo deuiant. Voluptas, auaritia, cupiditas infelicitatis, ac ignominiae sunt officina, & inde nascitura arbitrantur gaudia. Sola virtus & felicitatem parit, & nutrit. *Euenit hoc nimia intemperantia, & amore coco rei.*

(aiebat Seneca de vita beata cap. 14.) *nam mala pro bonis petenti periculosum est assequi. Vt feras cum labore, periculoque venantur, & captarum quoque illarum sollicita possessio est; sapē enim lamant Dominos: ita habentes magnas voluptates, in magnum malum euasere, captaeque ceperere.* *Quae quo plures, maioreque sunt, eo ille minor, ac plurimum seruus est, quem felicem vulgus appellat.* Caecurrit, qui sibi honores, famamque per voluptates, diuitiasque inique acqulitas fatagit comparare; cum his gressibus solum possit ad ignominiam, infelicitatemque peruenire. Filij Heli, vt felicem ducerent vitam, insanis apperitionibus inferuebant, vtque diuitias auerent, rapinis iniquissimis inhiabant; verum dum caeco gressu discipiunt gloriam, procudere sibi ignominiam. *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Dignitas amittitur, facultas dilapidatur, & omnia contraria votis eueniunt, dum gloriam & honorem mediis contrariis discipiunt. Notauit Abulensis *qua st. 27. Qui non honorant me, erunt abiecti, scilicet priuati honore.* Filij Heli, si Deum honorassent, honoribus splenderent: ait dum cupiditatibus obsequuntur, vita honoribus, & facultatibus viduantur. Ab omnibus despiciuntur ignobiles, dum peruersa via exambierunt esse felices.

## §. XCIX.

*A Deo promanat felicitas, ab ipso peccatore exoritur calamitas.*

Deus nostrae felicitatis est opifex, vt peccator suae calamitatis est artifex. Inexhaustus beneficentiae fons, & penes se thesaurum, retinere quodammodo non sustinens, vitam, honorem gestit hominibus dilargiri, sed humana caecitas inhonorationem, & calamitatem contra se armare inuenitur, dum inconsulte cupiditatibus adulatur. *Ceterum* (aiebat Seneca de vita beata cap. 14.) *non ipsi voluptatem, sed ipsos voluptas habet, cuius aut inopia torquetur, aut copia strangulatur. Miseri, si deseruntur ab illa; miseros, si obruntur.* Ipsi peccatores vitae insidiantur, dum voluptati traduntur; ipsi ignominiam, & miseriam sibi conciliant, dum caecis desiderijs obtemperant. *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Ignominia se Deus negat artificem, opifcem se ostentat honoris; ne peccator Numini calamitatem adscribat, aut suae se felicitatis auctorem fuisse vanissimus credat. *Qui Deum contemnunt ignobiles asseruntur, quia ipso contemptu, & legum irreuerentia innutrita est ignominia.* Notauit Ambrosius *Honorificantes me* (inquit) *honorificabo: honorem bonorum operationis suae esse declarans. Et contemptores mei non dixit: Honore priuabo, sed honore priuabuntur non sua operationi deputans eorum iniuriam.* Ipsa sententiarum differentia manifeste ostendit, bona nostra à diuina largitate prouenire, mala à nostris criminibus promanare. Inique de Deo queritur, qui suis vitiis facultates amisit, & valetudinem perdidit: insipienter turget, qui felicitatem, & honorem suae industriae, aut sagacitati adscribit. Dei liberalitati, gratiaque debentur omnia, quibus fruimur bona; nostrae insipientiae sunt fructus detrimenta, & supplicia. Filij Heli Deo auctore, resplenderunt dignitatis infulis decorati, suis cumibus emacuerunt ignobiles, & obscuri.

## §. C.

*Dignitatis culmen virtutibus perseverat  
suffultum, & corrui vitii  
cursum.*

**E**T auida felicitas est ( aiebat Seneca epist. 19. )  
& aliena auiditatis exposita. Plures contra felicitatem  
militant aut ambitione inflammati, aut inuidientia  
adusti. Opus est felici felicitatem suam suffulcire,  
& contra alienas manus armare: Quantum felicitati  
acceſcit ad plausum, accedit etiam ad metum: verum  
stat fortuna, si virtutum armis protecta, & incorruptis  
moribus circum allata, possunt externa concutere, non  
deicere: verum si internis vitiiis dignitas oppugnetur,  
nequibit stare, sed fulcris deficientibus opus est ruere.  
Aaron ad dignitatem clarus magna ambentium aduer-  
sarioꝝ copia est impetitus; verum dum virga efflo-  
ruit, dum virtus emicuit, & inuidiam fregit, & aduer-  
sarioꝝ deuicit. Firma constitit dignitas quantumvis  
impetita, quia virtutibus obarmata: modò iam Aaronicæ  
familie brachium præciditur, & à culmine deturbatur:  
*Præcidam brachium tuum & brachium domus patris tui.* Et  
cur modò tantâ sustineant miseriam, qui de tot hostibus  
reportauerunt victoriam? Iam Textus explicuit. *Qui  
contemnunt me, erunt ignobiles.* Dum filij Heli abutuntur  
potestate ad rapinam, dum dignitatem detorquent ad  
exoculatam cupiditatis licentiam, se ipsos exaugunt,  
& dignitatibus multant. Ita Lira: *Quicumque glori-  
ficauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me,  
erunt ignobiles. Glorificabo conseruando eum in statu sue  
dignitatis: qui autem contemnunt, me abutendo collata sibi  
potestate, erunt ignobiles, quia deiciuntur à statu sue  
dignitatis.* Dum virga illa Aaronica Aegyptios dra-  
cones deglutit, dum venustus flores, & lapidissimos  
fructus protulit, nec aduersarioꝝ violentiis, nec  
multitibus potuit deici; modò sine aduersarioꝝ iam  
corruiit marcida, quia internis vitiiis concussa. In Aeo-  
nica familia tunc perseverauit dignitas, quantumvis  
aduersarioꝝ furerent, seditionemque concitarent, quia  
virtutibus firmata, modò sine aduersarioꝝ & marcet, &  
corruiit, quia insanis appetitionibus impetita. Si filij Heli  
legi parerent, aduersarioꝝ exercitus detriumpharet; verum  
dum collata sibi potestate abutuntur cæci, à  
culmine deturbantur puniti.

## TEXTVS.

VERS. XXXI. Ecce dies veniunt, & præ-  
cidam brachium tuum, & brachium  
domus patris tui, vt non sit fenex in domo  
tua.

## §. C. I.

*Minus dolent aliqui vita carere, quam dignitatis  
splendoribus viduari.*

**S**ic inuisceratum hominibus est emicendi votum,  
& dominandi cæteris desiderium, vt vel salutis,  
vitæque dispendio suspirauerint culmina, & dignitatum  
ambierint cella. Non adeò ægrè ferrent nonnulli in  
magistratu vitam finire, quam de magistratu pullos  
protelare. *Cogita, quam multa temere pro pecunia  
(aiebat Seneca epist. 19.) quam multa laboriosè pro honore  
tentaueris.* Minora tentantur pro vita conseruanda,  
quam tententur pro dignitate acquirenda. Summa  
felicitas aestimatur vibanorum officiorum splendor,  
culminis nitore. Hinc cum Deus acerbam multam  
domui Heli prænuntiare vellet, antequam filioꝝ  
mortem, ad alios auolaturam asseruit dignitatem:

*Præcidam brachium tuum.* Et postea: *In die vno morietur  
ambo.* Durius videbatur filios infelici strage conuere,  
quam brachium præcindi. Cur ergo prius brachij præ-  
cisionem, quam Heli, & filioꝝ necem prædicat?  
Quia in brachio designabatur dignitas, inquit Abulenſis  
*quæst. 30. Brachium eius, id est potestas, & honor ablata  
sunt.* Aegrius erat, quam vita interdici, dignitatibus  
orbari: ergo vt grauiori supplicio Aaronicam familiam  
multaret, prædixit dignitatis priuationem, & postea  
necem. Homines namque frequenter dignitatem vite  
præferunt, & saluti splendorem præponunt.

## §. C. II.

*Minus dolent aliqui orbari vita, quam pater-  
nam domum, familiarumque antiqua carere  
gloria.*

**N**onnulli adeo sunt paternæ domus splendoris  
auidi, vt minus dolent salute carere, quam pro-  
sapiam honoribus viduari. Impatienter ferunt, si quid  
prosapie obscurauerit gloriam, cum patienter tulerint  
aduersam sibi fortunam. Defauebat Pharaonis rabies  
in Israëlitas, oneribus durissimis prægrauabat, & ad  
vite tadium perducebat. Cùmque patienter ferrent,  
excogitauit nouam machinam, qua durius affligeret:  
nempe filios rapidis vorticibus tradere, & familie  
stemmata cum hæredibus abolere: *Quidquid masculini  
sexus natum fuerit in flumen proiecit: quidquid feminam,  
reſeruate.* Exodi 1. vers. 22. Submersis maribus anti-  
quorum deperibat memoria, & Aegyptiis ducentibus  
feminas obliterabantur maiorum insignia; ergo incre-  
mentabatur dolor, & crescebat intus angor. *Vires  
eorum* ( inquit Philo lib. 1. de vitâ Moſis ) *neſariis  
artibus conatus est occidere, insitque, vt ex recens editis  
alerentur femina propter sexum bello inuitiles, mares tolle-  
rentur.* Sublatis maribus ad familias alias transibant  
autæ nobilitatis stemmata, diuitiarumque copia: ergo  
hoc dolore grauius diseriuciabantur, quam aliis labo-  
ribus premerentur. Vtque noueris, quam miserum  
existimant homines maiorum imagines obscurari, &  
alienis familiis inferi, expende, filiam Pharaonis Moysen  
sibi in filium adoptasse. *Adoptauit in locum filij. Exo. 2.  
vers. 10.* Ne Pharaonis gloria aboleretur notitia, aut  
in alienam familiam eius migraret memoria. *Erat Regi  
unica dilecta filia* ( inquit Philo ) *eam seruent dudum  
nuptiam non potuisse matrem fieri, quantumvis liberorum  
cupidam, præ erum sexus potioris, vt esset qui in fortu-  
natam auii regni sortem succederet, migratori alioquin in  
familiam aliam nepotum penuria.* *Qua cura pressam, &  
ca die maxime anxiam, cum hætenus solita esset domi se  
continere, ac ne linnen quidem transcendere, prouipuisse se  
cum puellis familiaribus ad flumem, ubi puer fuerat expo-  
situs.* Aliqui volunt mentitam fuisse Moysen à se ge-  
nitum, vt hæc fraude anxietati blandiretur, quia intuita  
gloriam antiquæ proſapie aboleri, & ad familiam  
aliam transire, durissime cruciabat. Et in nostro  
Textu postquam Deus brachium, hoc est, Heli vitam  
abscindendam prædixit, brachium paternæ domus  
etiã conseruandum addidit: *Præcidam brachium  
tuum, & brachium domus patris tui.* Profectò senten-  
tiarum ordo videbitur inuertendus, si Heli erat dolore  
grauissimo exulcerandus: deleta patris domo superites  
poterat dolorem aliquomodo leuare, ipso deleto parum  
intererat, si totam conſingeret domum conuere. Cur  
ergo Deus brachij eius contritioni paternæ domus  
stragis, & adnexuit penam, & notitiam? Quia quam-  
vis magnus dolor esset Heli multari vita, grauior erat  
familiam suam multari gloria. Ita Abulenſis *quæst. 27.*  
*Deuenit ad magnam abiectiorem, cum nullus de illa esset  
Princeps Sacerdotum.* Paterna Heli domus ad magnam  
deuenit abiectiorem, cum iam non possederit dignita-  
tem

rom, adeoque grauior dolor est hominibus agnoscere familiam splendore antiquo multatandam, quam propriam vitam finitandam, vt post proprii brachij confectionem, vt exulceraret dolorem, auolaturam ad aliam familiam prædixerit dignitatem.

## TEXTVS.

VERS. XXXII. Et videbis æmulum tuum in templo in vniuersis prosperis Israël, & non erit fenex in domo tua omnibus diebus.

## §. CIII.

*Non adeo acerbum est dignitate multari, quam ad æmulum transire.*

Nonnullis pro solatio est, dum dignitate carent, æmulum non assequi, competitorem non obtinere. Accerrimè pungi pœna, si respiciatur æmulus gloria. Post prænuntiatam paternæ domus stragem, addidit oraculum, Heli domum, qua respicienda, dignitate multandam, & ad æmulorum domum transiendam: *Videbis æmulum tuum in templo in vniuersis prosperis Israël.* Gemina doloris vulnerabatur sagitta, agebat dignitate domus priuata, & æmuli domus dolorem immodicè adaugebat honoribus dignitatis splendida. Zara, & Phares de principatu in matris vtero contendebant: Zara regia purpura resplendet ornatus: *Iste egredietur prior. Gen. 38. vers. 28.* Retracta manu alter egressus est: *Egressus est alter.* Nec mysterio caute postpositum illo rubeo filo illigari: in eo omnem Christi passionem agnoscit Interlinearis: *Ligauit coccinum, figuram sanguinis effundendi.* O quam eo coccino premebatur, qui se post coccinum vidit postpositum, & competitorem sibi prælatum! Est enim hominibus grauior calamitas, quam ipsa vita priuari, si videant dignitatem ad competitorem transire. Deliquerant filij Heli, grauisimisque se sceleribus polluerant. Deus acerba morte eadem die multandos prædixit: *Ophni, & Pineas in die vno morientur ambo.* Acerbam mortem prædixit, vt diu diuexarentur timore, & quouis momento certæ, & incertæ mortis torquerentur anxietate. Viuebant, non vt viuerent, sed vt acti mortis timore semper dolerent. Nec sterit hæc calamitas, sed vt durius recrudesceret, addidit oraculum dignitatem ad æmulum transiendam. *Videbis æmulum tuum in templo in vniuersis prosperis Israël.* Præsciant mortem imminere, ignorent diem, vt continuè discrucientur, dum continuè pauoribus agitantur, addaturque mortis dolori euolaturæ ad æmulum dignitatis notitia, quo grauiori affligantur pœna. Innuit Abulenſis questione 30. *Erat pœna magna Heli, & posteritati sue, quod prius habuissent ipsi summum Sacerdotium, & deinde viderent translatum ad alios, scilicet competitores, & æmulos, quasi viuidiùs torferit competitoris gloria, gloriæque notitia quam misera stragis sententia.*

## TEXTVS.

VERS. XXXIII. Verumtamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo: sed vt deficiant oculi tui, & tabescat anima tua, & pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem venerit.

## §. CIV.

*Ipsa morte durius est ad eius genua deuolvi, cui eras solitus dominari.*

Nll in humanis statum, nil inconcussum. Qui heri superbiebat opulentissimus, stitem hodie quartigenus: duram hodie trahit catenam, qui paulo ante splendidam circumferebat seruorum pompam. Verum inter duros adeo, & varios castus nil sic acerbum est, quam si cogatur quis ad illius genua deuolvi, cui solebat dominari. *Stare ante limen Callisti dominum suum vidi* (inquit Seneca epist. 47.) *& eum, qui illi impetrat titulum, qui inter reicula mancipia produxerat, alius intrantibus excludi.* Sic fortunæ vices varia, vt Callistus olim seruus respiciendū dignitatis titulis honoratus, & olim dominus eius domus vestibulum non fuerit occupare permittitur. Quis dubitet domino morte acerbius fuisse ad olim serui genua prouolvi, & prouolunt excludi. Deus vt dignam sceleribus pœnam infligeret Heli familiæ, noluit ab altari penitus auferre, sed æmulis iam dominantibus inferuire. *Non auferam penitus virum ex te ab altari meo.* Et cur non auferat? Iam subdit: *Vt deficiant oculi tui, & tabescat anima tua.* Heli filij vipotè Sacerdotes magni aliis Sacerdotibus imperabant, modo vice versa iam parebant: ergo eorum tabescebat anima præ angustia: reliquisse aliquos qui altari ministrarent, non erat temperare acerbitatem, sed adaugere dolorem, quandoquidem ipsa morte erat durius, eis ipsis inferuire, quibus fuerant assueti multis temporibus dominari. Ita Abulenſis quest. 30. *Quod ego relinquam aliquos de filiis tuis ministrantes in altari, non est ad allusionem pœne, sed ad augmentum. Nam si quis fuerit in magna prosperitate, & incidens in aduersam calamitatem, videt alium in honoris excellentia durius hoc, quam mortem tolerat.* Durius erat Heli filiis olim dominantibus inter seruos nunc ceteri, & esset tolerabilius vitam finire. Verum scelerum enormitas eorum produxit vitam, vt hanc sustinerent grauisimam pœnam, & eis ipsis inferuirent subiecti, quibus præcipiebant olim domini.

## §. CV.

*Liuior salutis vicia, & immatura mortis est causa.*

Ambitio, liuorque vt aliena felicitatis, sic propriæ pestes inueniuntur salutis. Ambitio, inuidiaque iustitiæ semper inimica non quiescit, sed anxia solitudine nubila cogit, quorum tenebris aliorum splendorem obscurat. *Nihil securum* (ait Calliodorus 10. variar. 28.) *nihil poterit stabile reperiri, si semper inuidientium vota ad illicitas accedere permittantur insidias.* Inuidia captiosas præcendit semper insidias, perniciosas disponit technas, indecoras confingit causas; sed viperæ adinstar dum pectore aliis lethale conflat venenum, imprudenter sibi parat excidium. Magna pars filiorum Heli virili in ætate immatura petibant morte: *Pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem venerit.* Ea ætate, qua salus vegetior, & robustior, vita decebant, & omnes ferè peribant. Quod si scruteris causam, non sine fundamento extitisse inuenies inuidiam. Virilis ætas clariori luce intellectus vigeat, quam

quàm pueritia, & adoleſcentia. Ergo cùm viderent amulorum familiam dignitatis luminibus reſplendentem, inuidentiæ ſtammis adrebantur, & inuidentiæ ſalutem tinea in modum abrodedat, & ſalute deſtitutos vita mulctabat. Audi Auguſtinum, & Hieronymum, *Vi deſiciant oculi tui, & tabeſcat anima tua, ut ſemper ſciſcit ſi de domo Heli in domo Domini; qui in dignitate Sa erditiſ videns alium ſubſtitutum, & ſe deſtitutum, deſiciat animo, & tabeſcat.* Tabefeſcere eſt deſicari, putreſceri, dolore torqueri. Ergo cùm ad virilem ætatem peruenientes viuidiore inuidentiæ ſtimulo adurgerentur, ea præcipuè ætate emorſebantur, & quo paſſu creſcebat inuidentiæ, deſiciebat & vita.

## §. CVI.

*Gravis dolor eſt, ſi eo tempore filius oppetat mortem, quo aptior ad reparandam ſucceſſionem, & dignitatem.*

**F**ilij à parentibus nutriuntur, & futura ſucceſſionis ſpe labores plurimi tolerantur. Quavis ætate deſcedant filij, paterna viſcera dolore pullantur, & amoris igne aduruntur: verùm ſi ea patiantur occaſum, qua laborum ſperabant demerere parentes fructum, & præmium, reſcruſcit dolor, & triſtiſſimus viſcera diſtorquet angor. Ob id, ut Heli familie grauiſſima deſicta digna Deus punierit ſententiã, filiis decreuit mortem, cùm poſt infantia, adoleſcentiaque labores ſpes maturior, & procreandi liberis virilitas aptior: *Pars magna domus tua morietur, cum ad virilem ætatem venerit.* In Hebræo habetur: *Omnis faciem ſurgere dñum tuam,* id eſt, ut qui delectam familiam poſſet alleuare, qui filios poſſet progignere, qui eximiiſ dotibus refulgens procelloſos calamitatis turbines poſſet depellere, ſpes omnes moriens eludet, & è viuis excedet. Quod ſi quaeras, cur antea non occidant, ſed virili ætate deſcedant? reſpondebit Caietanus, ea ætate Deum mortem decreuiſſe, ut ipſa maturior ſpes inferret dolori, & vires adderet calamitati: *Declaratur amplius prima pœna non quod magna pars, ſed quod omnes, qui eſſent diſpoſiti ad ſubleuandum donum Heli morietur iuvenes, ſeu quaſt iuvenes.* O quàm erat amarum poſt ſolicitos infantia labores, poſt anxias adoleſcentia curas ſpebus ferè iam maturis fruſtrari, & vnius morte plures calamitatibus deprimi. Sperabat familia meliorem fortunam, dum ſpectabat virum prudentia ornatum, & virtutibus expolitum: verùm tunc mortis falce demetebatur, ut calamitas augetetur.

## TEXTVS.

**V**ERS. XXXIV. Hoc autem cuit tibi ſignum, quod venturum eſt duobus filiis tuis Ophni, & Phinees. In die vno morientur ambo.

## §. CVII.

*Non ſemel infortunium, alterius eſt infortuny præſagium.*

**A**liquod eſſet calamitatis ſolamen, ſi premeret miſeria, nec vterioſis eſſet calamitatis prænuntiã: verùm ut in catena vnus nexus alterum trahit, ſic in aduerſa ſorte calamitas aliam patit calamitatem, & dolor procreat dolorem. Nullo melius nomine (aiebat Seneca de tranquillitate animi cap. 10.) de nobis natura meruit, quam quod non ſeruat, quibus ærumnis naſceremur, calamitatum mollimentum conſuetudinem inuenit... Omnes cum fortuna copulati ſumus. Aliorum autem catena eſt, & laxa: aliorum arcta, & ſordida. Infortunia ſape concatenantur, & alia ærumna alterius & prænuntium,

& præſagium eſt. Plurima, & quidem acerbiſſima comminatus fuerat Deus Heli domui indignis ſcleribus ſordidatæ, & victimarum deprædatici, & ne minas effectû vacuas exillimaret, Ophni, & Phinees calum pro ſigno dedit: *Hoc autem erit tibi ſignum, quod venturum eſt duobus filiis tuis, Ophi, & Phinees: in die vno morientur ambo.* Eadem die occubituros fratres reſtatur, ne de ſuperuenturis poſtea calamitatibus dubitetur. Notauit Abulenſis quaſt. 30. *Mors filiorum Heli, que prænuntiat hic, eſt ſig. un., quod omnia alia, que prædixit Deus de ſtirpe ſua, completerentur.* Filij corruunt, Arca capitur, notiã calamitatis ſic Heli grandævum perciclit, ut fractis ceruicibus expiraret. Nurui acceleratur doloribus partus, & partum comitatur interitus: alia aliam calamitatem aduocabat, & velut fluctus fluctum impellit, ſequiturque, ſic infortunium infortunio ſuccedebat. Eſt namque de morte aduerſa aduerſis copulari, & dolorem nouis doloribus aduocatis augeri.

## §. CVIII.

*Ea eſt diuina miſericordia, ut videatur miraculum, acerbum inſiſſiſſe ſupplicium.*

**P**eccatores propria ſtimulantur conſcientia, verùm cunctationis, tergiverſationiſque erga penitentiam ſapiffimè delirium diuinae nutrit miſericordiæ præſumptio: indubiam ſibi delictorum promittunt veniam, & conceſſum tempus furantur, ut infantis appetitionibus adulentur. *Suſtinet* (aiebat Tertullianus de Patientia cap. 2.) *in grauiſſimas nationes, Indubria aruitan, & opera manuum ſuarum adorantes, hominem cum familia ipſius perſequentes: luxuriam, auaritiã, iniquitatem, malignitatem quoniam in ſoleſcentem, ut ſua ſibi patientia detrahar: plures enim Dominum idcirco non credunt, quia ſeculo iratum tandem neſciunt.* Cùm habeat Deus in ſua poteſtate vindictam. Mauili ſic offenſate miſericordiam, ut ſi ſis ſit dicere, maieſtati ſuæ videatur intuliſſe contumeliã. Cum tandè ſeculo iratum Dominum neſciant, plures digna illaturum ſupplicia dubitant. Utque miraculum vocamus, quod præter conſuetudinem natura fieri videmus: ſic ſupplicium eſt quodammodo miraculum, cùm aſſueſcat diuina miſericordia & parcere, & indulgere. Crimina filiorum Heli ad eum perueniant cumulum, ut celeſtem iuſtitiam, non ſolum prouocarent, ſed quodammodo ad vindictam impellerent, & tamen animaduerſio ſignum appellatur: *Hoc autem erit tibi ſignum, quod venturum eſt duobus filiis tuis.* Ac ſi dicat: Acerbus filiorum tuorum caſus erit ſignum, id eſt, miraculum. Ita Abulenſis quaſt. 30. *Iſtud poteſt intelligi dupliciter; vno modo, quod accipiat ſignum pro re ſignata, vel magis pro re magna: ſicut dicimus Deum facere ſignum, cum facit aliquod miraculum etiam ſi illud non ſit ſignatum alicuius rei, & iſto modo mors duorum filiorum fuit Heli ſignum, id eſt res ſignata, vel miraculum, aut pœna à Deo inſicta.* Sacerdotum prociã, exoculata auaritia, impia irreuerentia acerbiſſimum exigebant ſupplicium; verùm ſic Deus Sacerdotum honori conſulit; ſic miſericors peccatorum delictis indulget, ut poterit videri miraculum, Sacerdotum, totiuſque familie excidium: *Hoc erit tibi ſignum, id eſt, res ſignata, vel miraculum, aut pœna à Deo inſicta.* Quid pro diuina miſericordia augetur, quid verius? Debita criminibus pœna inſigitur, & miraculum appellatur.

TEXTVS.

VERS. XXXV. Et suscitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum, & animam meam faciet, & edificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Christo meo cunctis diebus.

§. CIX.

Deus misericordiam accelerat, & inferre poenam procrastinat.

Misericordia, iustitiaque adaeque sunt Numinis attributa, & ornamenta ad beneficiendum tamen videtur propensius, & ad puniendum morosius. *Nullam non Reipublicae partem aiebat Seneca de Clement. lib. 1. c. 13. tanquam vitruis inclinatus ad mitiora. Bonus Princeps ad mitiora melinatus, ad seuera cogitur: vt sui partem quemvis subiectum respicit, & vt quisque sibi accelerat commoda, & distersit, si possit, a peccata; sic Deus hominibus, quos tenere diligit, imperitri maturat beneficia, & cunctatur misericordissima etiam inflixisse flagella. Heli oisctans negligentia, procax filioru audacia Deum compulsi dignitate ablata omnem familiam punire, & a culmine deturbare: Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem. Putares statim alterum suscitandum, & alterum eiciendum: post denuntiatam tamen multam longa cucurere spatia, antequam executioni mandaretur exaugurationis poena. Achitob, Achimelech, Abiathar respenderunt adhuc Sacerdotibus infulsis; na vt qui diu noluit, tarde dedit, ita Deus tarde puniuit, quia punire doluit. Notauit Abul. q. 31. Adhuc mansit Sacerdotiu in domo Heli in aliis tribus Sacerdotibus scilicet Achitob, & Achimelech filio eius, & in Abiathar nepote illius. Poena iustitiae satisfaciebat, sed dilatio aduabat misericordiae, & pietati. Deus namq; ad beneficiendum promptissimus est, ad puniendum laudabiliter tardus, vt e contra homines ad beneficiendum tardi, & ad nocendum exprompti. Filiorum Heli culpa poenam accelerabat, misericordia tamen differebat, iustitiae satisfaciebat decreta puniio, morem gerebat misericordiae dilatio.*

§. CX.

Deus vt inflicti supplicij dolorem molliat, eodem tempore impartiri beneficia procurat.

Deus, antequam ad supplicia perueniat, remedia quodammodo consumit; eodem tempore se patrem esse recordatur, & iudicem: vtque pater, si opus sit aliquid filij membrum abscindere, ingemiscit, & quod dolorem emollit, quaerit: ita Deus, si hominum criminibus compulsi flagella incuriat, eo dolore angitur, vt ad munificentiae delinimentum accurrat. *Tarde sibi pater membra sua abscindat* (aiebat Seneca lib. 1. de Clementia. c. 14.) etiam cum absciderit, reponere cupiat: & in abscindendo gemit. Gemit Deus, dum infert alicui supplicium, & munificentiae suae fontes aperit, vt doloris quaerat delinimentum. Rex ille caelestis fidelem seruum, qui mna sibi tradita decem mnas acquiuerat, amplissimo remunerauerat premio; & nihilominus cum mna a procaci, & ignauo seruo auferenda esset, non iussit thesauris suis reponi, sed decem mnas habenti regali munificentia exhiberi: *Auferre ab illo mnam, & dare illi, qui decem mnas habet. Luc. 19. vers. 24.* Doluit mnam auferre, & vt dolorem molliret, alteri decreuit dare, & dum quaesuit munificentiae dolori suo medicamentum, ostendit, quam illi esset amarum inflicti procaci seruo supplicium. Hinc disces, cur eodem tempore Heli familiam Sacerdotio mulctarit, & Sacerdotem sibi fidelem suscitare decreuerit: *Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem.* Fidelem Sacerdotem suscitare decreuit, cum compulsi est infidelem Sacerdotem detruere; dolebat meritum inferre supplicium, & quo temperaret dolorem, quaesuit delinimentum. *Sacerdos iste* (inquit Caietan.) *ad Eman. de Naxera in Reg.*

litteram fuit Sadoc, qui a Salomone, eiecto Abiathar ex stirpe Heli, subrogatus est in Pontificem. Alium ad dignitatem extulit, cum alium detruisit; vt molliet alterius beneficium, quod alium puniens patiebatur tormentum.

§. CXI.

Familie, domusque splendor anchora virtutum firmatur, flatibus vitiorum evertitur.

VT naues contra procellosos turbines fundantur anchora; sic domus, familiaeque felicitas stabilium prudentia. Parum interest natura congeserit opes, dignitates, si vitiorum pestis omnia deuorarit, & fundamenta firma subuerterit. Esau primus, & familiae princeps exoritur; Iacob posterior, & secundus nascitur, & tamen iste virtutum fulcris stabilis, & ille ingemit diuitiis, & dignitate nudatus. *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Gen. 27. vers. 27.* Virtutum odor acquiuit principatum; Esau auida edulitas, & imprompta edacitas prouexit gemitum. *Consequenter* (aiebat Philo l. b. his verbis: Resipuit Noe) *inducit Iacob minor em natu, quam Esau: quoniam imprudentia mox a prima etate nobiscum coalescit, honestatis amulatio sero nobis imascitur, quamvis suapte vi sit, quam illa, antiquior. quapropter Esau fratri cedit, iure primogenitorum, quod alter sibi libenter asserit, vt debuit.* Iacob virtute principatu promeruit, & sustulit; Esau, quantum vis suffragaretur natura, amisit felicitatem intemperantia. Heli domus, quam, ni peccaret, Deus firmare decreuerat, acibus vitiorum ventis corruit prostrata, & ingemuit misera. Sadoc eligitur, & eius domus firmatur: *Edificabo ei domum fidelem;* id est, stabilem, & firmam. Si quaeras, cur Sadoc domus aduersus fortunae vultus consistat firma, & Heli domus corruat labefactata? respondebit Textus, alterius domum virtute inniti, alterius vitiorum turbine concuti: *Iuxta cor meum, & animam meam faciet.* Sadoc, dum rite munus impleuit, domum stabilium; Heli potestate abusus, subuerit: *Amulus domus Heli fuit Sadoc Sacerdos* (inquit Hugo) *qui abiecto Abiathar a Salomone Sacerdotium suscepit.* Non nutauit Sadoc domus virtute fundata, non constiuit Heli domus vitiorum flatibus impetita.

§. CXII.

Optima politices benemeritum, quin ipse exambiat, luminibus dignitatis exornat.

Gloria est honorum Principum (aiebat Cassiod. 10. var. 11.) incognitas honoribus clarificare personas, dum quicquid a subiectis proficiscitur, regnantiu laudibus applicatur. Regnatu laudibus applicatur honoribus nobilitate personas, meritis claras, et si ab ambitu remotas. Sadoc ad Sacerdotium suscitatur: *Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem.* Laus regentis fuit suscitari ambitioni dormientem, & virtutibus vigilantem; vt electorum sapissimum est nota, eligere ambitioni vigilantem, virtuti dormientem. *Sacerdos iste* (inquit Abul. q. 31.) *erat futurus fidelis, quia obseruaret Dei voluntatem iuxta omnes ceremonias.* Fidelis sine ambitu eligitur, quia eximii virtutibus commendatur. O quam alia Reipublicae esset facies, si ad munia eligerentur persona magnatibus incognita, & virtutibus conspicua! verum dum eligitur magnatibus notus, & eorum patrocinio commendatus, munus patronorum est mellis copiosa, electus muneris inuenitur non semel iniuria, & electores ferit populorum querela.

§. CXIII.

Prudentia est, dum ratio non contradicit, Principibus complacere, & eorum beneuolentiam lucrari.

Nonnulli Ecclesiastica dignitate fulgentes, iudicibus Principibusque resistendo gloriam sibi quaerunt: nonnulli

MANERA  
LIB. I.  
REG. I.  
CAP. II.  
C. IX.  
AS

nonnulli plusquam fas est, complacendo gratiam elucari fatagunt. Prudentia omnia attemperari opus est; iudicibus, Principibusque adulari muneris est iniuria; obfistere, contradicereque, ni ratio cogat, est scandalosa imprudentia. *Romanus certe dictum illud celeberrimum Traiani (aiebat Atalaricus 7. var. 13.) Sume delationem; si bonus fuero, pro Republica, & me; si malus, pro Republica in me.* Adnectit: *Obligamus te certe generalitati, dum absolute precipimus iura seruari, quod ideo nunc dicimus, ut opportune orationibus in te consuluisse videamur.* Sacerdos non debet propriis villitatibus studere, nec vanis timoribus illigari. Munus fortitur pro Principibus, & Republica, ut eis prouidenter attendat, & ut cum fas fuerit, prudenter etiam resistat. Decet Ecclesiastica dignitate nobilitatum munus implere, & congruit etiam benevolentiam Principum elucari. Electus Sadoc ad summi Sacerdotij Principum diuinas leges inuiolatas studuit asserere: *Iuxta cor meum, & animam meam faciet; sed etiam Principis benevolentiam sibi procurauit allicere: Ambulabit coram Christo meo in diebus diebus.* Nouerat namque utrumque interesse ad muneris, dignitatisque decorem. Principem scilicet, eiusque ministros imprudenter non exasperare, & iura Ecclesiastica custodire. *Ambulabit coram Christo meo (inquit Abulensis 9.31.) id est, ministrabit coram Rege à me instructo omnibus diebus vite sue.* Adnectit: *Quando David egressus est de urbe Hierusalem fugiens Absalonem, Abiathar, & Sadoc portabant Arcam Domini coram eo.* Vtrumque iunxit, Arcam reuerenter portare, & gratiam Principis promereri. Curauit, ne ea in seditione Arca aliquam pateretur iniuriam, & alleuare etiam, quam proditor inferre patri anhelabat offensam.

## §. CXIV.

*Parentum merita in filiis debent remunerari, & in premio relucere.*

**S**I est honorum Principum gloria impetiti beneficia, quando euit praestantius dignis reddidisse premia: *Sic instituta sequimur (aiebat Rex Theodahad. 10. var. 11. apud Cassiod.) si bonis haeredibus parentum premia non negemus.* Decet enim etiam priores suos vincere, qui ad nostra merita tempora peruenire... *Quis ergo relinqueret in posteris minus honoris, quos tamdiu constat fuisse praecipuos? Accusarentur saecula, si talis potuisset latere familia. Familiam, quae in praedecessoribus depradicandis facinoribus resplenduit, fas non est irremuneratam relinquere, sed praemiis emeritis honorare.* Sadoc sic Numini fidelem se semper praestitit, ut diuinis legibus vigilanter obtemperaret. *Suscipiam tibi Sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum, & animam meam faciet.* Parentis recensentur merita, sed audiuntur etiam in filiis remunerata: *Edificabo ei domum fidelem, id est, filios eius honoribus afficiam, & domum contra temporum adfultus statuam.* Ita Abul. 9.31. *Edificabo ei domum fidelem, id est, faciam, quod domus eius sit firma.* Filios honoribus, praemiisque nobilitauit, ne parentis virtus maneret irremunerata, & obliuione sepulta. Patris dignitas ad posteros sanguinis fonte perducta in posteris floruit, & dignis praemiis resplenduit; nec enim fas erat tot meritorum haeredes negligi, & irremuneratos relinqui.

## §. CXV.

*Magnum meritum parentis premium filius virtutibus expolitus, & dignitatum luminibus exornatus.*

**R**erum causa semper in semine sunt, fructus editus prodit auctorem, & quantum à diuinitate parens meretur, de prolis felicitate colligitur. *Quicquid in illo viro (inquit Cassiod. de Partitio Venantio loquens 9. var. 23.) gratia diuina concessit, integra perfectione transfusum*

*cernas in posteros... In hac domo non tantum patrimonium, sed & virtutibus aditur hereditas. Hoc est profecto, quod verè diuites facit. Quando nullum melius potest esse compendium, quam laudibus successisse maiorum. Nullum pulchrius meritum Venantij compendium, quam habuisse filios non solum patrimonij haeredes, sed virtutis successeores. Adnectit Cassiodor. *Alieni continent, propria sub moderatione distribuunt, & iniustata laude mirabilis, nulli grauis tot protulit consulares.* Non dissimilis Venantio Sadoc iura custodiens, Numini semper obediens meruit fidelem domum fortiri, & filios summi Sacerdotij luminibus exornari: *Suscipiam tibi Sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum, & animam meam faciet.* Quid tunc? *Edificabo ei domum fidelem.* Filios promisit virtutibus expolitos, & dignitatibus claros: & quod augustius parenti premium, quam tot lumina genuisse, & in filiis florere semper laudatum, & laudari continuis dignitatibus floridum: Ita Abul. 9.31. *Nil aliud est domum eius esse fidelem, nisi progeniem eius in qua priuari summo Sacerdotio. Filij, quod Sacerdotium iure hereditario accipiebant, magnis virtutum meritis confirmabant, ergo nil pati gloriosius, quam habere filios virtutibus exornatos, & luminibus dignitatum conspicuos. Patris fidelitas transfuit ad posteros, & dum fideliter seruiunt, dignitatem sibi stabilunt. Dignitas ab Heli domo auolauit, quia studebant filij libidinibus, & rapinis; ab hac domo non discessit, quia tota domus virtutem coluit. Repetere posset datus Cassiod. *Si homines ornat semel accepisse palmarum: quis ille censendus est, qui tot meretur in filiis consulatus.***

## TEXTVS.

**VERS. XXXVI.** Futurum est autem, ut quicumque remanserit in domo tua, veniat ut ore tur pro eo, & offerat nummum argenteum, & tortam panis, dicatque: *Dimitte me, obsecro, ad unam partem Sacerdotalem, ut comedam buccellam panis.*

## §. CXVI.

*Rapinis, libidinibusque studentes filios relinquunt inopes, mendicatioque vilissimas.*

**L**icet raro constans effloreat fortuna, sed variis mutationibus celios dejiciat, & deiectos atrollat, vires addidit eius volubilitati, qui foedis libidinibus indultit, & rapinis iniquissimis inhiauit. Libido facultatem denotat, rapina, vel iuste possessa consumit ardentissima flamma: clamat lesorum tumultus, & à Numine iustam vindictam obtinet ciuilatus. *Iniuriosum est rapio viuere (aiebat Seneca epist. 70.)* Non solum aliis iniuriosum, sed ipsi etiam rapitori; nam alienae diuitiae proprias & deperdunt, & depalcunt. Ophni, & Phinees posteris panis buccellam mendicant: *Dimitte me, obsecro, ad unam partem Sacerdotalem, ut comedam buccellam panis.* Miraberis, cum Ophni, & Phinees magnis resplenderint dignitatibus insigniti, & diuitiis copiosi, eorum posterorum ad eam deuenisse miseriam, ut emendicato quodammodo pane alerint vitam. In Hebraeo habetur: *Veniet ad orandum pro summo argenti & buccella panis.* Itaque vel nummum emendicabant, & buccellam panis ad solandam famem expetebant. Sed quid aliud sperandum erat, quando eorum parentes & aliena rapiebant, & rapta libidinibus dissipabant. *Explicatur hac minima, videlicet buccella panis, & nummus argenti ad declarandum eorum indigentiam magnam (inquit Caiet.)* Eodem tempore, quo parentum refertur exoluta luxuria, & rapacitas auara, refertur etiam summa posterorum miseria; ut notum fuerit salaces, & rapinis inhiantes posteros relinquere misera diuexandos inopia, & premedos indigentia.